
3 1761 07444636 0

STATUS

POLITICO-JURIDICUS

INCLITI

REGNI HUNGARIAE,

HABITO

PECULIARI RESPECTU

JURIUM REGIS HUNGARIAE, ATQUE FISCI REGII.

AUCTORE

ALEXANDRO BLASKOVITS,

JURATO ADVOCATO.

PESTINI,

TYPIS NOB. TRATTNER-KÁROLYIANIS.

Non in hoc Opere, proprii arbitrii vestigia figo, verum praeviis alieni itineris visibus insisto. *Colom. Reg. Decr. Libri I. in Praefatione.*



Lector Benevole!


Et Nos, qui procul ab influxu publico constituimur, Patriae utiles evadere optamus. Hos itaque fructus studiorum meorum, quantulumcunque exiguos, hoc conatu impulsus, ad altare Patriae meae offero. Accipe eos, Lector Benevole, animo placido, nihil enim hoc in Opusculo aliud quam quod legale, justum, et ingenuum est, probate dicere, et scribere tenacis mei propositi fuit, adeo, ut siquid ab hoc proposito aberassem, me ipsum erasse profitear, id quod mihi quoque tam multiplici et gravi argumento operis hujus evenire poterat, homo enim sum, nihil humani a me alienum est Quae Nobis de argumento opusculi hujus e Tabulis Legum Nostrarum, aliisque Actis publicis constare possunt, adeo dispersa sunt, ut

eorum collectio et elucubratio me longiori tempore distraxerit, et jam vel ideo necessaria evaserit. Si itaque studia eorum, quibus Respublicae cordi sunt, qui easdem tractant, et scire anhelant, sincero hoc meo conatu faciliora reddere poteram, scopo meo plene potitus sum.

In reliquo vale et fave!

Tibi

devoto auctori.



Praeferentialia Jura Regni, atque Regum Hungariae.

§. 1.

Origo Monarchicae Regiminis Formae in Hungaria.

Statum Inclyti Regni Hungariae, sicut de praesenti constituitur, ***Publico Juridicum***, respectu Jurium Regis Hungariae, atque Fisci Regii, deducere et Legibus remonstrare cupiens, ea, quae huc faciunt, praecipue ab origine Regni usque ad nostra Tempora elucubrare conabar. Itaque ea, quae praecipua, sive praeferentialia, ut ita dicam, Jura Regni, atque Regis Hungariae in se complectuntur, praemittenda censui. — Hungaros, qui se ***Magyaros*** compellant, ex Asia, — ubi Regiones inter fluvios Tanaim, Volgam et Jaicum incolebant, sed quas, per Gentem Pacinacitarum exturbati, derelinquere debebant, — ad Europam sub septem Ducibus venisse, ex coëva Historia Constantini Porphyrogenitae, ac seriori Anonymi Belae Regis Notarii, aliorumque abunde constat. Priusquam iidem per Bessarabiam, Russiam Rubram, Lodomeriam, et Galliciam ad fines Hungariae circa Ungvarinum et Munkátsinum, anno circiter 889. venissent, jam eosdem

tunc sibi Ducem Almum, — alii dicunt Arpadem — pro Principe elegisse, iidem Historici referunt. — Eotum Princeps et Populus sibi certas, — Belae Regis Anonymus Notarius, quinque refert, — Conditiones invicem stipulati sunt, ad quarum mutuam et perpetuam observantiam, se suosque successores solennibus cerimoniis, ac jurejurando quoque obstrinxerunt. *) Principatus iste, in quo summa potestas Regiminis conditione prima uni collata fuerat, ad successores Principis Almi quoque extensus fuit, qui successores hanc sibi attributam summam potestatem et Imperium usque tempora Sancti Stephani, sub nomine Ducum, retinuerant. Sanctum Stephanum vero, non tantum summo hoc Imperio aeque usum, sed per eum etiam titulum Ducis in Regium commutatum fuisse, patet ex Decreto ejusdem I. et II. in praefatione. — Atque haec est ***Origo Monarchicae in Hungaria Regiminis Formae***, quae ad nostra usque tempora perdurat. **1687 : 2. 3. — 1723 : 1. 2. — 1830 : 1.** —

*) Conditiones illas Anonymus Belae Regis Notarius Cap. VI. sic refert: 1-o. *Ut quamdiu vita duraret, tam ipsis, quam etiam posteris suis, semper Ducem haberent ex Progenie Almi (alii Arpadis) Ducis.* 2-o. *Ut quid quid boni per labores eorum acquirere possent, nemo eorum expers fieret.* 3-o. *Ut isti principales personae, qui sua libera voluntate Almum (Arpadem) sibi Dominum elegerunt — quod ipsi, et filii eorum nunquam e consilio Ducis et honore Regni omnino priventur.* 4-o. *Ut siquis de posteris eorum infidelis fieret contra Personam Ducalem, et discordiam faceret inter Ducem et cognatos suos, sangvis nocentis funderetur, sicut sangvis eorum fuit fusus in juramento, quod fecerunt Almo Duci.* 5-o. *Ut siquis de posteris Almi Ducis et aliarum personarum principalium juramentum, statuta ipsorum infringere voluerit, anathemati subjaceat in perpetuum.*" —

§. 2.

Forma Regiminis Monarchica Limitata.

Ex eo, quod Populus Hungaricus in memorato pacto summum Imperium in Almum Ducem sub certis conditionibus, ac signanter sub tertia illa conditione transtulerat: ***ut isti principales personae, qui sua libera voluntate Almum sibi Dominum elegerunt, quod ipsi et filii eorum nunquam a consilio Ducis et honore Regni omnino privarentur***,— atque ex eo, quod haec potestatis summae ac legislatoriae inter Regem et Populum communio ad nostra usque tempora perduret, suapte intelligitur: ***Regni Hungariae Regiminis Formam esse Monarchicam limitatam, sive constitutionalem***, id est talem, in qua Rex jura fundamentalia, atque potestatem legislativam nonnisi in concursu Populi exercere valeat: S. Steph. L. II. C. 19. 20. 23. — S. Lad. L. II. C. 1. And. II. D. I. 31. Part. II. tt. 3. 1655: 18. 1791: 2. 1827: 3. —

§. 3.

Status et Ordines Regni Hungariae.

Populus ille, in cujus concursu Rex potestatem legislativam exercere valet, in Hungaria nomine ***Statuum et Ordinum Regni*** insignitur. — Quatuor vero nunc sunt Statuum et Ordinum Regni in Hungaria classes, utpote; ***Praelatorum, Magnatum, Nobilium, et Liberarum Regiarum Civitatum***. 1608. 1. — Status et Ordines hi, eminentiori appellatione, „***Populus Hungaricus***“ audiunt. Part. I. tt. 4.

§. 4.

Leges Regni Fundamentales.

Uti ex praecedentibus patet, inter Regem et Populum jam antiquitus certa pacta intervenisse, ita eadem serioribus temporibus quoque compluribus Decretis et Legibus, quibus mutua correlatio jurium principalium inter Regem et Populum ad invicem specialius definiretur, uberius determinata, aucta et firmata fuerunt. Constitutiones hae „*Leges Regni Fundamentales*" appellantur, quae tam per Regem, quam per Nationem observandae veniunt, donec mutuo consensu tollantur, vel iisdem aliae substituantur. Part. II. tt. 5.

Sunt vero Leges Regni Fundamentales,— praeter dictam Almi Ducis Conventionem, quae instar fontis pro subsequis fundamentalibus Legibus deservivisse videtur,— praecipuae sequentes:

1-o. Regis Andreae II. Bulla Aurea de anno 1222. qua libertates Nobilium assecurantur, et, quam neocoronandus Rex juramento confirmat, excepta tamen clausula, de resistendi facultate, quae 1687. 4. abolita est.

2-o. Operis Tripartiti Partis I. tt. 9. quo Nobilium quatuor praerogativae exprimuntur.

3-o. Leges 1741. 8. 1723. 6. 1805. 1. §. 17. — quibus Nobiles a contributione in perpetuum liberi pronunciantur.

4-o. Pacificationes Viennensis et Lincensis, prior de anno 1606. — posterior de anno 1640. — quae etiam 1608: 1. 1647: 5, et 1791: 26. pro fundamentalibus constitutionibus declaratae sunt.

5-o. Leges 1547: 5. — 1687: 2. 3. — atque 1723: 1. 2. successsionem hereditariam Augustae

Domui regnanti Austriacae in Hungaria deferentes.

6-o. Cuncta Inauguralia Diplomata Regum. A temporibus nempe Uladislai II-di, 1490. — usu venit, ut inauguralia Diplomata Regum publicis Regni constitutionibus insererentur, atque ea basim Legum Fundamentalium constituerent. Harum sanctionum Diplomaticarum vero tenor in his concentratur:

Primo. Ut Regni Hungariae, Partiumque eidem adnexarum universae libertates, immunitates, statuta, privilegia et consvetudines, a Divis Regibus concessae et confirmatae observentur, — excepta clausula Regis Andreae II. Decreti de anno 1222 editi, a verbis. „***quod si vero Nos***" usque „***in perpetuum facultatem***" — item salva dispositione Legis quoad ea, quae per articulum 8. 1741. excepta sunt.

Secundo. Ut Corona in Regno asservetur.

Tertio. Ne tenuta et partes ad Hungariam spectantes alienentur, sed et alienatae revindicentur et reincorporentur.

Quarto. Ut, si regnantis Domus Austriacae defectus seminis in utroque sexu enasceretur, praerogativa regiae electionis et coronationis ad pristinum statum redeat.

Quinto. Ut diplomatica haec assecuratio atque juramentum per neo coronandum Regem dicendum, semper coronationi praemittatur: 1659: 1. 1790: 2. 1792: 2. 1830: 2.

§. 5.

Leges quibus Rex Populo, et Populus Regi obstringitur.

Seriori tempore Leges illae quoque, quibus Rex Populo, hic vero Regi semet obstringit, pe-

culiariter et uberius definitae fuerunt. In specie vero Rex Hungariae Populo semet obstringit duplici modo:

1-o. *Nativitate*, qua primogenitus regius Princeps, *Rex Hungariae* nascitur, et eo ipso potestatem et jura regia hereditat 1723: 2; sed simul illa, quae ad publicam, constitutionique conformem Regni administrationem pertinent, intra tempus coronationis quoque salva tenere obligatur. 1791: 3. 1792: 2. —

2-o. *Coronatione*, quippe quod solemnitatis coronationalis illud sit praecipuum requisitum, ut Rex semet juramento obliget, quod cunctas Regni libertates, constitutiones, privilegia, jura et immunitates a Divis Regibus Hungariae Nationi concessas, in suo vigore et integritate conservabit, et conservari faciet. 1687: 2. — Quare statutum est:

a.) Ut Status et OO. Regni diaetaliter congregati neo-coronando Regi semper Diploma Inaugurale ante coronationem exhibeant. 1687: 2. 1715: 1.

b.) Ut eveniente singula regiminis mutatione, Coronatio Heredis Regni, intra sex menses diaetaliter intra Regnum instituatur. 1791: 3. 1687: 2. 3. 1723: 3. 1741: 4. 1792: 2.

c.) Ut potestas et jus, bona et jura possessionaria, ac quaelibet privilegia conferendi, nonnisi legitime coronato Principi competat. *Praecit. Leges et Part. I. tt.* 4. —

Populus Hungaricus vero Regi obstringitur: debitis homagialis fidei obligationibus, quas erga legitimum Coronae Heredem et Regem semper explere tenetur: Ferd. I. D. XII. 1. Part. I. tt. 12. 1687: 2. 1791: 3. — Sub Ladislao Posthumo homagialis fides etiam juramento confirmata fuit: 1453: 2. — Status et OO. Regni in

tesseram Homagialis suae devotionis a temporibus Maximiliani Honorarium *) quoque neo coronato Regi offerre consveverunt. 1563: 2. 1572: 3. 1613: 10. 1618: 38. 1625: 9. 1655: 14. 1715: 4. 1790: 4. 1792: 3. 1830: 3. —

*) Honorarium hoc postremis temporibus 50,000 aureos hungaricos Cremnitzienses efficiebat.

§. 6.

Successio Regum in Regno Hungariae.

Posteaquam attactum est, Regem Hungariae non eligi, sed nasci; attingenda quoque venit Successio Regum in Hungaria vigens. Successio haec in Hungaria respicit nunc gloriosissime regnantem Domum Austriacam eo modo: ut in Throno Regio Hungarico Domus Lotharingico Habsburgicae Principes utriusque Sexus Regis Caroli Tertii, et his deficientibus Josephi et Leopoldi Primi, pariter utriusque Sexus Heredes, Romano Catholici, Jure primogeniturae et illo ordine succedant, ut Mares, Faeminas praecedant, et eas, si adfuerint, in quavis Linea excludant. 1687: 2. 3. 1715: 2. 1723: 1. 2.

§. 7.

Titulus Regis, et Statuum ac Ordinum Regni.

Reges Hungariae Titulo: „*Sacratissimae Regiae Majestatis*“ ornantur. Ipsimet Reges vero uti solent in suis Titulis Regnorum et Provinciarium Nominibus, quae actu possident, vel saltem aliquando possederunt. Tribuitur praete-

rea Regibus Hungariae Titulus, „*Apostolici*": quo Sylvester II. Pontifex Romanus, Sanctum Stephanum, ob conversam ad Fidem Christi Gentem Hungaram, condecoravit, et quem Titulum Clemens XIII. in Bulla sua dto. 19-ae Augusti 1758. etiam Augustae Mariae Theresiae, ejusque in Regno Successoribus, novitus asseruit. Majestatis Titulo, Reges Hungariae antiquitus jam identidem usos fuisse, patet ex Diplomate Geizae II. anno 1148. Ecclesiae Budensi dato, et Ludovici Decreto de anno 1351.

Status et OO. Regni, si quidpiam unice Nomine suo petractant, utuntur Titulo: „***Nos Praelati*, *Barones*, *Proceres*, *Nobiles*, *aliique Status et Ordines Regni Hungariae*, *Partiumque eidem adnexarum*,**" *) prout id ex constitutionibus 1542. patet.

*) Status et OO. Regni diaetaliter congregati Repraesentationes suas ad Majestatem Regiam in forma epistolari submittunt, subscribentes semet: „*Humillimi Capellani et Servi, perpetuoque fideles subditi, Status et Ordines Regni Hungariae, partiumque adnexarum diaetaliter congregati.*" Sua Majestas vero nunc Resolutiones et Rescripta sua ad Status et OO. Regni, cum Titulo: „*Serenissimo Archi Duci, Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, item Egregiis et Nobilibus, nec non Prudentibus et Circumspectis Incliti Regni Hungariae et Partium ei adnexarum Dominis Statibus et Ordinibus Diaetaliter congregatis*" — insignitas, mittere solet.

§. 8.

Sigilla Regis.

Rex Hungariae utitur Sigillis majoribus et minoribus. Illa regnorum et Provinciarum omnium ad Hungariam pertinentium; haec vero saltem praecipuorum nonnullorum Regnorum Insignia in se continent. Sigilla majora sunt:

Bulla aurea*, *Sigillum Secretum*, *Sigillum duplex*, et *Judiciarium*.** Math. D. III. 8. — Bulla aurea, et Sigillum Duplex, — quod per Primatem Regni conservari consvevit: **1715: 3. 1741: 10.** — adhiberi solet in Diplomatibus et Privilegiis solennibus, per Regem extradari solitis. Sigillum Secretum adhibetur in Actis et Mandatis per Cancellariam Regiam expediri solitis. Sigillum Judiciarium vero conceditur Personali Praesentiae Regiae, ut eo ad Curiam Regiam in necessariis expeditionibus judicialibus, nomine Regis faciendis, utatur. Sigilla minora sunt Suae Majestatis ***Sigilla privativa et annularia.

§. 9.

Jura Reginarum in Hungaria.

Reginarum Hungariae per se regnantium, vi sanctionis pragmaticae **1723: 2.** Jura, Potestas et Auctoritas ea sunt, quae Regum, ac ideo solennitatibus, — praeter formalitatem unctionis, quae alio modo peragitur, — plane iis, quibus Reges coronantur, et saepe etiam ***Regis*** nominatione salutantur. Reginae attamen, qua conjuges Regum, nullas in administratione publica Civitatis partes capiunt. Coronantur hae de usu antiquo Diademate peculiari, Sacra autem Corona Regni Hungariae nonnisi humero earum dextro admovetur; tuncque Iisdem honores ac Tituli Reginalis Dignitatis attribuuntur; et a temporibus Mathiae II. Iisdem per Status et Ordines nomine Regni Honorarium *) quoque offerri solet. Habebant Reginae in Hungaria antea etiam sua Bona. **1545: 16. 1681: 46.** de quibus tamen nunc publice nihil constat.

*) Honorarium Reginale, postremis Coronationibus oblatum in 50000 aureis Cremnitziensibus consistebat.

§. 10.

Constitutivum Regni Hungariae.

Hodierna Hungaria componitur ex ipso Regno Hungariae (*Magyar ország*) tamquam matre, et partibus ejus adnexis, tamquam filiabus. Ad ipsum ***Regnum Hungariae*** pertinet — una cum confiniis — ***Banatus Temesiensis***, qui in sequelam 1741 : 18. pro reincorporato ad Regnum agnitus est. Hungaria haec dividitur in quatuor Districtus, — 1723: 31. nempe ***Cis*** et ***Trans***- Danubianum; ***Cis*** et ***Trans***- Tibiscanum. Singulus vero Districtus tenet plures Comitatus, qui junctim cum unitis numero 46 sunt. Huc pertinent porro ***Districtus Jazygum***, ***Cumania major et minor***, ***Districtus sex Oppidorum Hajdonicalium***, ***Districtus Sedecim Oppidorum Scepusiensium***, ***denique Confinium Banaticum***, ***duo Regimina in se complectens.*** Universa haec Hungaria calculatur ad 4038. □ milliaria cum 8,775,671. Incolis.

Partes vero Hungariae adnexae sunt sequentes:

1-o. ***Regnum Slavoniae***, (***Tót - ország***) huc simul intellectis confiniis Slavonicis. ***Pacif. Vien. de anno*** 1606. ***ad*** 9-***num et*** 10-***mum.*** Slavoniae pars inferior reincorporata est: 1751: 23. Slavonia haec dividitur in ***Banalem et Militarem.*** Illa tres Comitatus, haec tres Districtus militares in se complectitur. Slavonia cum Confiniis calculatur ad 295. □ milliaria, cum 528,000. Incolis.

2 o. ***Regnum Croatiae*** (***Horváth - ország***) aeque cum Confiniis Croaticis sumtum. ***Pacif***.

Vien. de anno 1606. *ad* 9-*num et* 10-*mum.* — Croatia pariter in *Banalem* et *Militarem* dividitur. Illa tres Comitatus, haec tres Generalatus in se complectitur, et cum confiniis sumitur ad 467. □ milliaria cum 650,000 Incolis.

3-o. *Partes Regni Trans-Savanae Maritimae,* quae alias nomine *Litoralis Hungarici* veniunt, bello 1809. amissae, sed subin 1814. revindicatae, et 1827. 13. Regno Hungariae reincorporatae. Partes hae 1816. ad Regnum Illyriae relatae, ejusdem Regni Fluminensem et Carolostadiensem Districtum effecerunt, nunc vero *Gubernium Fluminense* constituunt. Gubernium hoc in tres *Jurisdictiones* dividitur: 1-*o. Liberae Urbis Maritimo Commertialis Fluminensis.* 2-*o. Jurisdictionem Liberae Urbis maritimo Commercialis Buccariensis,* 3-*o. Jurisdictionem Districtus maritimo e Dominiis Vinodol, Hrelin et Buccari* consistentem. Calculatur totum hoc Littorale Hungaricum ad 8. □ milliaria cum 37926. Incolis.

Et haec sunt, quae praesens actuale Constitutivum Regni Hungariae efficiunt. *) Petebatur praeterea postulatis Regni 18$\frac{2}{7}$ (sub C. puncto 3.) reincorporatio Regnorum *Dalmatiae*, *Galliciae*, *et Lodomeriae*, ac reaplicatio trium limitaneorum Comitatuum *Krasznensis*, *Mediocris-Szolnok et Zarandiensis*, atque Districtus *Kővár*, nunc ad Transilvaniam pertinentium, sed ad Hungariam contribuentium, quo in objecto 1830: 5. Commissio quoque denominata fuit. — Haec desideria sua Status et OO. Regni hac Diaeta 183$\frac{2}{3}$ aeque praeferentialiter reiterarunt.

Quod *Principatum Transilvaniae* attinet idem tenore 1741. 18. per Suam Majestatem aeque, qua Regem Hungariae, possidetur, verum

ejusdem cum Hungaria arctior unio **1792:11.** desideratur.

*) Regna olim ad Hungariam pertinentia sunt: *Dalmatia, Bosnia, Servia, Ragusa, Bulgaria, Valachia, Moldavia, et Podolia, item Gallicia et Lodomeria.* Horum Regnorum fata et vicissitudines concinna Historia exponit Fridericus Petrovits in eximio opere suo: *Magyar Ország Történetei Időszaki Táblákban.*

§. 5.

Insignia Regni Hungariae.

Insignia R. Hungariae exhibentur per Scutum perpendiculariter in duas partes divisum, *) in cujus area dextra, et quidem campo rubro, quatuor argenteae fasciae, totidem ut nonnulli statuunt, Fluvios Hungariae praecipuos designantes, visuntur; in sinistra area vero, aeque in campo rubro, crux argentea, duplicata, tribus viridibus collibus, corolla aurea ornatis, insistens, conspicitur.

*) Insignia omnium Regnorum aliquando ad Regnum Hungariae pertinentia accurate describit Const. Farkas in opusculo suo, *Principia Juris Publici Regni Hungariae.*

§. 12.

Jura Regis Majestatica.

Ex eo, quod summum Civile Imperium in Reges Hungariae collatum habeatur, sponte sequitur, Reges Hungariae Jura et Potestatem habere debere, quibus salus et securitas Regni tam interna, quam externa, tamquam summus finis Civilis Imperii, obtineri valeat. Horum omnium jurium complexus, *Majestas*, vocatur, ipsa vero illa Jura, *Majestatica*, audiunt. In Regno Hun-

gariae Jura Majestatica, sive Potestas Imperii Civilis, de antiquissimo Regni Instituto, — ut supra §. 2. 4. deductum est, — limitata et certis legibus fundamentalibus ita circumscripta est, ut Rex nonnulla Jura nonnisi cum consensu Statuum et Ordinum Regni diaetaliter exercere possit; nonnullis tamen etiam Vi auctoritatis suae supremae uti valeat. Illa ***Jura Regis Comitialia, sive Communicata;*** haec vero ***Jura Regis Reservata seu Propria***, appellantur. Propositum Libelli hujus est utriusque generis Jura haec in respectivis suis partibus evolvere, ac tandem ***Jura et Activitatem Regii quoque Fisci***, ex hoc duplici genere Jurium Regiorum profluentia, Parte tertia, specialiter exponere,

PARS I.

Complectens Jura Regis Hungariae Comitialia.

§. 13.

Objecta Cardinalia.

Praemisso eo, quod omnia illa ***Objecta Cardinalia, sive Praeferentialia, basim Legum et Constitutionis efficientia***, quae jam in Primordiis Jurium Regum Hungariae a §. 1-o. usque 12-mum memorata sunt, ad Comitialia sive Communicata Jura Regum Hungariae pertinere dignoscantur, hac Parte, cetera Jura Regum Comitialia prosequenda esse duxi, inter quae:

§. 14.

Jus Comitia Regni celebrandi.

Prima loco memoranda veniunt Comitia Regni, unde nempe omnia cetera Jura et Immunitates Regis et Regni profluunt. Comitia, sive Conventum Regis et Statutum Regni celebrandi, atque in iis potestatem legislativam simultanee exercendi, Jus Regi et Populo commune esse, jam in prioribus (§. 2. et 3.) attactum est, sed id etiam expresse tenet Partis II. tt. 3. in quo dicitur, „*quod Princeps Constitutiones nonnisi Populo accersito, et interrogato facere possit.*" Id in Hungaria ab antiquissimis temporibus usitatum fuit, ut quoties majoris momenti negotia Civitatem feriebant, toties illa in Conventu Regis atque Populi mutuis consiliis pertractarentur. Conventus hi generales serioribus temporibus nomine Comitiorum, vel Diaetae venientes, *) jam nunc omni triennio ratione ex illa, *quod provehendae prosperitatis publicae ac tollendorum, et antevertendorum gravaminum Regni salutare constituant remedium*," celebrandi veniunt, imo necessitate exigente etiam ante triennium celebrandi sunt. Ulad. D. 1. 3. 1715: 14. 1723: 7. 1791: 13. 1827: 5.

Particularia etiam Comitia, in casu inopinatae hostilis irruptionis celebrari posse, patet ex 1715: 8. — 1741: 22. — Quod secus extra Comitia de Rebus et objectis eo pertinentibus deliberari, et Leges condi non possint, patet ex Ulad. D. V. 1. 1597: 46. 1715: 31. 1791: 12.

Tempus legale Comitiorum est unum bimestre 1723: 7. Mortuo Rege, successor Rex intra sex menses Diaetam indicendam, et gravamina tollenda habet. 1659. 1.

De cetero Jus Comitia indicendi, eorumque tempus praefigendi, et locum determinandi Suae Majestati competit. Ulad. D. I. 108. D. II. 25. — Juxta 1635 : 79. Comitia sunt Posonii, juxta 1764 : 2. vero Budae celebranda.

Quod ad Diaetam non tantum Hungaria, sed etiam partes adnexae Ablegatos suos mittant, ex provocatis Legibus et 1723: 7. patet. Antea etiam Transilvania ad Regni Comitia ablegatos misisse, elucet ex 1553 : 15. — nunc de consuetudine tantum Episcopus Transilvaniae ad Tabulam Procerum sedet.

Modalitas Comitia celebrandi ea est, ut per Regem Praelati, Barones, et Magnates Regni tam actuales, quam titulares specialibus Litteris Regalibus personaliter ; — Comitatus vero et caeteri Districtus, ac Liberae et Regiae Civitates in Diaeta Votum et Sessionem habentes aeque Litteris Regalibus, per suos Ablegatos repraesentandae, — evocentur. In Diaeta demum convenientes Praelati et Magnates, sub Praesidio Palatini Regni, seorsim consident, et *Tabulam Procerum seu Magnatum* constituunt; Ablegati vero Comitatuum, Civitatumque aeque seorsim, sub Praesidio Personalis Praesentiae Regiae Locumtenentis, consident, et *Tabulam Statuum et Ordinum Regni* efficiunt. Ordo, quo nunc Comitia celebrari soleant, et qui ad ea convocandi sint, patet ex Legibus Ulad. D. III. 1. 1608: 1. p. Cor. 1625: 61. — 1635: 79. — 1723: 7.

*) Comitia in Corpore Juris sub diversa nominatione veniunt, dicuntur *Concilium* S. Steph. L. II. C. 19. — *Sancta Synodus* S. Lad. L. 1. in praef. *Conventus* S. Lad. L. II. C. 1. *Concilium*. Car. I. D. — Mariae I. D. — *Conventio Nobilium*. Sigism. D. II. in praef. ubi de singulis Regni Comitatibus Nobilium convocatorum et Civitatum Legatorum, prima fit mentio. — *Generalis Congregatio*, Math. Reg. D. I. *Generalis Con-*

ventio ejusdem D. III. *Diaeta Generalis*, ejusdem D. IV. VI. Ulad. D. II. 25. *Comitia*, 1527. praef. *Generalis Regni conventus*, 1543. *Praef. Generalis Regni Concursus.* 1741. 22. —

§. 15.

Potestas Legislativa, Ordo et Forma Judiciorum.

Potestatem Legislativam, id est Potestatem Leges ferendi, abrogandi et interpretandi, — sive eadem publicam Civitatem, sive Privatorum Jura et Personas concernant, — Regi, Regnique Statibus et Ordinibus a primaeva Regni Institutione communem et simultaneam fuisse et esse, patet ex S. Steph. L. II. C. 19. 20. 23. S. Lad. L. II. C. 1. ex Decretis Caroli, Sigism. etc. item Part. II. tt. et 3. — ac denique 1791: 10. 12.

Cum vero justitiae promta et genuina administratio unum sit ex optimis salutis et securitatis internae provehendae remediis, Status et OO. Regni, jam 1715: 24. Legum, quae Jura Privatorum concernerent, atquae Judiciorum emendationem diaetaliter suscipiendam sibi reservarunt, et ne interea etiam vigens Judiciorum Ordo, et Forma sive Mandatis Regiis, sive Revisione Dicasteriorum alterentur, statuerunt 1791: 12.

Executiva tamen Legum Potestas in sensu Legum exercenda, suam Majestatem concernit. *Eodem Art.*

§. 16.

Electio Palatini Regni.

Palatinus Regni, qui, uti Lex Albert. D. art. 2. dicit: „*inter Regiam Majestatem et Re-*

gnicolas Justitiam facere potest et tenetur" per Regem et Status ac OO. Regni eligitur 1526: 7. 1548: 18. Quodsi Palatinum fatis cedere contingat, intra annum pro electione ejus Diaeta indicenda est, in qua Sua Majestas pro eligendo Palatino Statibus et OO. Regni quatuor Candidatos proponit, et quidem duos e Statu Romano-Catholicorum, duos vero e Statu Evangelicorum 1608: 3. a. c. ex quibus demum Status et OO. Regni unum pro Palatino eligunt. Electus Palatinus, — qui semper ad dies vitae eligitur, — tandem juramentum praescriptum dicit, 1555: 1. 1613: 7. primum locum inter Barones Regni occupat, Part. I. tt. 94. estque Praeses totius diaetae, signanter Tabulae Magnatum; 1687: 10. *(plura de Dignitate Palatini Part. II. Cap. I.* §. 45.*)*

§. 17.

Electio Conservatorum Coronae Regni.

Duo Sacrae Coronae Hungariae et Clenodiorum Regni *) Conservatores, seu Custodes, qui Dignitate sua Baronibus Regni proxime accedunt, a temporibus Uladislai, per Status et OO. Regni eliguntur, Ulad. Decr. IV. 23. Rex nempe ex Statibus et Ordinibus Regni secularibus quatuor Individua, duo e Statu Romano-Catholicae, duo ex Statu Evangelicae utriusque Confessionis, Religionis selecta, Statibus et Ordinibus Regni proponit, e quibus duos pro Custodibus Coronae eligunt. 1608: 4. a. c. 1687: 10. 1790: 8. Electi Coronae Custodes Juramentum nuncupare obligantur. In casu vero, dum alterutrum eorum mori contingat, Majestas Regia modo provisorio Successorem, usque proxima Comitia ea Dignitate defuncturum substituere solet. 1715. 38.

*) Praecipua Clenodia Regni sunt:

1mo. *Corona Regni*, quae ex auro confecta, gemmis preciosis et pluribus iconibus exornata est, quam, uti perhibetur, Sancto Stephano, ob conversam ad Christi Religionem Gentem Hungaram, Silvester II. Pontifex Romanus, cum Titulo *Regis Apostolici* donavit, et ideo etiam *Sacra*, *Apostolica*, *et Angelica* nominatur. Partem tamen inferiorem Coronae a Pontifice missam esse negant plurimi. Multa de hac jam scripta sunt, quae hic loci recensere non vacat. Vide postrema: *Beschreibung der ungarischen Reichsinsignien, namentlich der heiligen Krone*, *herausgegeben von Jos. Weber.* 8. *Pest* 1830. — A' Magyar és Hazája régenten. Irta N. Bányai Perger János. Pesten, 1831. *pag.* 69.

2do. *Pallium Sancti Stephani*, e Sericea materia, coloris viridis, confectum, imaginibus Apostolorum, Martyrum et Prophaetarum acupictum.

3io. *Sceptrum Regium.*

4to. *Globus aureus, seu Pomum aureum*, cui crux insistit.

5to. *Gladius Sancti Stephani.* — His Clenodiis occasione solemnitatum Coronationalium Rex ornari solet. Praeterea inter Regni Cimelia numerantur: *Crux aurea*, *Tibialia*, *Chirotecae candidae et Calceamenta.* Occasione coronationum etiam 10. vexilla Regnorum ad Hungariam pertinentium praeferuntur, sed ea ad Clenodia Regni non spectant.

§. 18.

Conservatio Coronae.

Ut Sacra Regni Corona semper Budae conservetur, et sine consensu Statuum et Ordinum Regni nunquam aliorsum transferatur, specialiter quoque decretum est: 1790: 6. In casu tamen inopini et aperti periculi, de ejus interimali translatione Sua Majestas providere potest: 1715: 38.

§. 19.

Collatio Indigenatus.

Jus Extraneis Indigenatum conferendi saltem ea ratione ad Jura Comitialia referri potest,

quod Indigenae, seu Personae illae extraneae, quae per suam Majestatem ob peculiaria merita Civitatis Hungaricae Juribus donantur, Occasione Comitiorum sui inarticulationem petere, ac praescriptum Juramentum deponere obligentur; tamdiu enim nec praerogativa Indigenatus gaudere, nec bona possesionaria tenere queunt: 1550: 77. 1715: 23. 1790: 69. Taxa Indigenatus 1687: 26. in mille aureis, ad cassam regnicolarem deponendis, fuit constituta, quae summa 1741: 41. ad bis mille aureos adaucta est. Demum 1830: 17. id quoque statutum est, „*ut in Indigenas recepti inarticulationem sui non prius consequi valeant, quam dum productis Expeditoriis se Receptionis Taxam Cassae Regni effective intulisse legitimaverint.*“ —

§. 20.

Collatio Civitatis Liberae Regiae.

Dum Oppida et Loca dominali Jurisdictioni subjecta et colonicali sorti alligata per Suam Majestatem ob peculiaria merita, elibertantur, et in Liberas Regias Civitates evehuntur, in quantum iisdem Civitatibus Jus Voti et Sessionis in Comitiis attribuere necesse est; Consensum quoque Statuum et Ordinum Regni accedere oportet: 1608: 6. 1656: 65. 1791: 30. —

§. 21.

Pretium Salis.

Proventus Salis ad Coronalia Jura Regis pertinere patet ex antiquis ac novioribus Legibus: Ulad. D. I. 30. D. VII. 3. — 1790: 20. — 1802: 3.

Pretium tamen Salis elevandi, Jus Regis cum Statibus et Ordinibus Regni comitiale est: **1791: 20.** — qui statuit: „*ut de elevatione pretii Salis cum Statibus et Ordinibus Regni tractetur, nec alias, nisi extremae urgentes circumstantiae aliud exigerent, Pretium Salis extra Comitia Regni augeatur.*" — Salis pretium **1792: 14.** in **11**xris adauctum, „*ad peculiares fines;*" Anno **1802: 3.** vero in **1** fl. 6 xr. adauctum, „*ad tegendas Status necessitates.*" comitialiter fuit destinatum. Partes maritimas, et Croatiam, *Sale maritimo*, Comitatus vero superiores, Arvensem, Turotziensem et Liptoviensem, *Sale Polonico* uti posse, constat ex **1548: 29. 1715: 122.** Si quis vero Privatus in possessorio suo Salem reperiret, eo uti non potest, sed Rex eidem pro plaga terrae, in qua Sal latet, aliam aequivalentem assignat. Lud. D. I: 13. Math. R. D. VII: 49. Ulad. D. I: 30. —

§. 22.

C o n t r i b u t i o.

Cum singulus Status suas necessitates habeat, certae Contributionis depensionem in omnibus Regnis naturale onus esse sponte patet. Quod attinet Contributionem in Hungaria, *) id est, solutiones et praestationes illas, quas Incolae Hungariae, qui Lege exemti non sunt, suo modo pro necessitatibus Regni et inprimis pro intertentione Regularis Militiae dependere obligantur: ejus *oblatio, augmentum, vel imminutio ad Comitia, ubi Sua Majestas cum Statibus et ordinibus Regni, de ejus quantitate, augmento vel imminutione consultat, pertinet.* Ulad. D. V: **1. 1595: 3. 4. 5. 6. 1597: 3. 1598: 4.**

1600: 3. 1611: 2. 1681: 12. 1715: 8. 1791: 19. 1827: 4.

Exorto tamen casu, in quo inopinata hostilis invasio omnem diaetalem conventum impediret, Sua Majestas, convocato Palatino, et Primate Regni, item Praelatis, Baronibus, Tabula Regia Judiciaria, aliisque Comitatibus et Liberis Regiis Civitatibus, quo frequentiori numero fieri potest, ea, quae utilitas et necessitas Regni postulaverint, deliberare et decernere potest: 1715: 8. 1741: 22. 1791: 19.

Contributionis Genus duplex esse, aliud *ad Cassam Bellicam*, pro necessitatibus Regni; aliud *ad Cassam Domesticam*, pro necessitatibus Comitatuum dependi solitam, probe constat, 1764: 21.

*) Contributionis quantum ab una Diaeta ad aliam offertur et determinatur, sed neque inarticulatur, neque Status, et Ordines pro eo fidejubent. Onus vero contributionis solvendae personae contribuentis inhaeret: 1741: 8. — Ratione Systematis Contributionalis Hungaria in novem Districtus divisa est, praeter Comitatus Limitaneos Transilvanicos, item Regnum Croatiae, et Urbem Fluminensem, quae aeque ad Aerarium Hungariae contribuunt. Tota Hungaria nunc titulo Contributionis 4,390,000 fl. Conv. M. ad dependendum habet. — Speciem certae Contributionis jam antiquissimis temporibus exstitisse, innuit Andr. II: D. I: 3. — Car. I. D. — Lud. D. I. 4. —

§. 23.

Portarum Connumeratio et Rectificatio.

Lucrum Camerae, sive Contributio Regi in pecunia offerri solita, jam sub Carolo I. 1342. §. 19. item Sigismundi D. IV: 1. 2. a certis portis, per quas currus intrare et exire poterat, solvi debebat. Serius Portarum harum connumeratio, regulatio et rectificatio Diaetas multum occupa-

vit, *) speciatim vero 1537. 3. statutum est, ut portae per duos fidedignos Nobiles in singulo Comitatu connumerentur. Demum 1546: 9. 1547: 10. ut portae per Dicatores Regios atque Thesaurarium connumerentur. Anno 1574: 1. §. 5. statutum est: Ut Dicator portarum numerum conscribat, et „*cum Jurato Nobile perlustret et inspiciat.*" — Anno 1609: 62. „*Ut Dicatores ex potioribus Nobilibus Comitatus elegantur, qui adjunctis sibi uno ex bene possessionatis Nobilibus et Judice Nobilium strictissimo Juramento obstrictis novam connumerationem Portarum faciant.*" Anno 1630: 5. Ut Portarum connumeratio per „*unum Juratum Nobilem et Dicatorem e medio sui exmittendos,*" fiat. — 1681: 61. rectificatio portarum „*per certos Deputatos a parte Comitatuum denominandos,*" ordinatur. — Demum 1715: 57. Portarum Conscriptio, „*secundum Ideam diaetaliter elaboratam, praesuscipienda ordinatur, ita, ut unus Regni circulus alterum Regni circulum conscribat.*"—Anno 1723: 67. Status et OO. Regni aeque „*secundum Idaeam stante Diaeta acceptatam, et Suae Majestati repraesentatam, Conscriptionem Regni peragendam esse existimant, circa quam addenda, demenda, vel modificanda cum Consilio Regio communicentur, ut super iisdem diaetaliter concludi possit.*" — Portarum rectificatio aeque „*juxta Idaeam diaetaliter stabilitam,*" ultimatim 1827: 7. fuit ordinata; et earum numerus in Schemate Interimalis Rectificationis, anno 1830. diaetaliter elaborato, insimul ad 6346 $\frac{1}{8}$ portas Palatinales defixus est.

*) Constitutivum unius Portae juxta 1647: 36 efficiunt Coloni quatvor, propria aratra, cum quatvor vel sex jumentis habentes, vel Coloni octo, cum duobus jumentis; Inquilini autem jumenta non habentes, sedecim.

Anno 1723: 63. Contributio ad omnes Portas et omnes Pagos et Oppida extensa fuit. Portae hae 1741: 63. 1805: 1. etiam „*Portae Palatinales*“ compellantur.

§. 24.

Statutio, Subsidia, et Suppletatio Militaris.

Statutio Militiae regularis, sive pedestris, sive equestris, nempe Tirones per Comitatus, Districtus, Civitates et Loca, separatas portas habentia, occasione belli vel pacis, postulante tamen necessitate, ad regularem militiam statuendi, et mittendi; item Subsidia, sive in aere parato, sive in naturalibus praestanda, semper diaetaliter postulanda et resolvenda veniunt: Ulad. D. V: 1. 1559: 15. 1715: 8. 1790: 19. 1802: 1. — Postremo hoc articulo Numerus Legionum Hungaricarum ad 64000 militum, ex duodecim Legionibus Pedestrium, et decem Equestrium constans defixus, — „*non tamen ultra triennium ex parte Regni in statu completo conservandus*,“ — fuit. „*Ceterum objecto Militiae etiam quoad modum suppletationis semper ad pertractationem diaetalem pertinente.*“ — Fine hujus suppletationis, ac respective fine facilitationis conductionis militum, „*ut nempe cuilibet Tironum amplior manualis pecunia dari possit.*“ Status et OO. Regni 1807: 1. „*pro meliori Cassae Collectaculorum dotatione, annue per aversionem 200,000 fl. Summae, quae antea ab aerario in collectacula impensa erat, addenda, — ea expressa Lege offerunt, ne ex sincero hoc studio, quasi Regnum onus Completationis in se assumsisset, consequentia formari valeat.*“ — Postremo his in objectis Sua Majestas Sacratissima Anno 1827: 4. Status et OO. securos reddere dignata est: „*quod materia Contributionis et*

Subsidiorum cujuscumque nominis, seu in aere, seu in naturalibus, aut Tironibus, a diaetali tractatu, — in nullis extraordinariis etiam casibus, avocanda sit." —

§. 25.

Insurrectio.

Periculo et necessitate conservationis et defensionis Regni majorem in modum impendente, dum nempe regularis Regni militia hosti resistendo non est: Ulad. D. V. 24. Sua Majestas cum Statibus et OO. Regni de Insurrectione personali Nobilium diaetaliter consultat, et eam petere potest: Ulad. D. I: 19. V: 24. 1715: 8. 1805: 1. 1808: 2. Insurrectio haec intra Regnum propriis, extra Regnum vero Regiis sumtibus militat. Andr. II: 7. Ulad. D. I: 18. 19. 1649: 3. 1808: 2. *) Insurrectio haec sub suis Signis, „*immediate a Suae Majestatis Sacratissimae imperio, et directione, medio Suae Celsitudinis Caesareo Regiae, Domini Regni Palatini, qua Supremi Capitanei Regni, exercendis, dependentiam habet.* 1808: 2. §. 17." — Modus et ordo Insurrectionis, et qui ad eam obligentur, qualiterque providenda veniat, in 1805: 1. et 1808: 2. abunde exprimuntur. Relate vero ad Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae Insurrectionem 1808. 5. statutum est, ut ea, „*semper tamen in conformitate Articuli* 66: 1681. *ab immediatis Domini Comitis Bani Ordinibus dependeat.*" —

*) Antiquitus Proceres et Nobiles, defensione Regni postulante cum suis Banderiis insurgebant. Andr. II. 7. Ulad. I. 18. — Subseque, praeterquam quod Proceres cum suis Gentibus insurrexerunt, insuper de 33bus Colonis unum equitem armatum, „*arcu, pharetra et*

gladio provisum," occasione belli ad exercitus Generales Regis mittebant. Sigism. D. V. 3. Formalis itaque Insurrectionis modus, et Subsidii Militaris consvetudo potissimum a temporibus Sigismundi repetenda venit. Sensu etiam Lad. Posth. D. art. 3. 4. Matt. R. D. III, 7. Ulad. D. I. 18.

§. 26.

Lustratio Nobilium, et Banderia.

Status et Ordines Regni anno 1808: 3, Lustrationem et Exercituationem Nobilium, motivo illo, quod „*exercitata, omnique apparatu bellico instructa Insurrectio in emersuro Legis casu, — hosti cum effectu opponi valeat, et scopo magis respondeat*," — ad normam praevigentis olim Lustrationis *) inducere cupiebant, ac eo scopo modalitatem quoque ejus determinarunt, postea vero articulo 4to Deputationem quoque, quae Projectum in materia Lustrationis et Banderiorum, diaetaliter revidendum, elaboraret, exmiserunt. Hoc in objecto anno 1827: 15. itidem Deputatio exmissa est.

*) De norma lustrationis olim usitatae nobis certe pauca constare crediderim. — Banderia erant alia Regalia, alia Baronum et Praelatorum. Illa numerarunt Equites mille; haec ducentos armigeros et ducentos huszaros. Ulad. D. I: 20. III: 21. Quisque vero sua Banderia ipse intertenere obligabatur.

§. 27.

U r b a r i u m.

„*Ut ea, quae nexum Dominorum Terrestrium cum Subditis concernunt, eorumdemque conservationem respiciunt, Diaetaliter sem-*

per tractentur et definiantur, ac proinde Urbarium quoque Diaetaliter elaboretur et determinetur, eousque autem, donec in rem hanc Diaetaliter aliud constitutum fuerit, hucdum praeexistens, sub regimine Augustae memoriae Imperatricis, et Reginae Apostolicae Mariae Theresiae, introducta Urbarialis Regulatio, in qualitate interimalis provisionis, tam quoad ipsas praestationes Urbariales, quam et concomitantem urbarialiter definitam Rusticorum a Dominis suis Terrestribus dependentiam, horumque vicissim in Rusticos Jurisdictionem et activitatem, usque futura Comitia anno 1792. celebranda, absque ulla exinde contra Leges Regni fundamentales formanda consequentia, retinenda accurate, ubivis, et per omnes observetur," statuitur 1791: 35. Interim objectum hoc urbariale ab hoc inde tempore diaetaliter pertractatum non est, *) et in subsequis diaetis non nisi Provisio Legis hujus toties, quoties, „*usque proxime celebranda Regni Comitia*," extensa fuit: 1792: 12. 1796: 3. 1802: 6. 1805: 3. 1807: 3. 1808: 9. 1812: 3. 1827: 10. 1830: 14.

*) Urbariale Objectum hac Diaeta 1834. effective pertractatum esse constat.

§. 28.

Leges, et Judicia Montanistica.

Quod Sua Majestas „*Legum Montanisticarum Reformationem, nec non Judiciorum Montanisticorum Constitutionem et Coordinationem communibus cum Dominis Statibus et OO. consiliis determinatura sit; oeconomica rei montanae regulatione, velut suo Regali per Regiam Suam Majestatem privativo suo arbitrio reservata,*" innuit: 1791: 22.

§. 29.

Educatio Juventutis, et Libertas Preli.

„*Cum Salus Reipublicae ab educatione Juventutis plurimum dependeat:*“ 1791: 15. decretum est: „*ut Deputatio Regnicolaris Systema Generalium Principiorum Nationalis educationis et Libertatis preli elaboratura, ac tandem opus tale Comitiis Regni, post revisionem et approbationem in Leges Regni referendum, praesentatura, Salvis Juribus Regiis, denominetur.*“ —

§. 30.

Fundus Publicus et Cassa Regnicolaris.

„*Ut Articulus* 99. 1723. *de Fundo Publico et Cassa Regnicolari conditus, hac occasione renovatus, in effectum deducatur, ac hinc in publicam utilitatem tendenti desiderio satisfiat, Sua Majestas ulteriorem hoc in merito regulationem, et dispositionem Comitiis Regni liberam relictura est.*“ 1791: 21. Hoc in objecto 1802: 30. *pro elaboranda Idaea, unde fundus publicus conflandus, ad quos fines destinandus, et quomodo administrandus sit?*“ solennis Deputatio exmissa fuit. —

§. 31.

Commercium.

Hungariam Commercium liberum sub protectione Regia in Mari Adriatico habuisse patet ex 1596: 32. — Commercium tamquam medium

optimum Nationales opes et Industriam augendi, Statuum et OO. Regni attentionem saepius eo provocavit, ut hoc in objecto plures salutares Leges statuerentur: 1723: 116. 117. — signanter 1715: 119. rogarunt Status et OO. Regem, ut liberum quaestum inter Slavoniam, Croatiam, et vicinas provincias admittere velit. In Portu Buccari Commercium liberum est declaratum: 1764: 31. — Demum 1790: 67. peculiaris Deputatio est exmissa, Projectum provehendi Commercii elaboratura, et Diaetae substratura.

§. 32.

Limites Regni.

Limites et Metae Regni inde ab antiquissimis temporibus multum Laborum Comitiis praebuerunt. Quod in Limitibus Regni defendendis et rectificandis Rex Consilio Statuum et OO. utetur statuit Albert. D. I: 14. 17. Quod Limites Rex tueri et avulsos revindicare velit, id etiam Juramento confirmat. Lad. Posth. D. I. 1. Dein 1791: 11. statutum est, „*quod etiam Limites et Metae Regni, atque Differentiae, quoad eos exortae, respectu Hungariae, per Hungaros investigabuntur, et partes avulsae readjicientur.*“ Ne vero exmissae limitaneae Commissiones longiori tempore optato effectu destituantur 1830: 11. decretum est, „*ut tam exmissae per art.* 16: 1827. *idmodi Commissiones, in quantum opus sibi creditum nondum perfecissent: quam deinceps exmittendae, opus suum usque proximam Diaetam terminare et Regni Comitiis referre teneantur.*“

§. 33.

Societas Erudita, seu Academia Hungarica.

Ut Academia Hungarica seu Societas Erudita „*non tantum ad propagandam, verum simul etiam ad excolendam in omni Scientiarum et Artium genere Patriam Lingvam directa, — e fundo, per spontaneas oblationes composito, fixam Sedem Pestini habitura, ocyus erigatur,*“ decretum est 1827: **11**. — Pro fundo hujus Academiae, ut sequens articulus **12** testatur, generosa oblata plures patriotae fecerunt, quae subseque per plures aucta sunt, adeo, ut *Instituti hujus protectionem Sua Celsitudine Caesareo Regia, Domino Regni Palatino, ingenita erga Patriam et Gentem Hungaram teneritudine suscipiente, Ejusdem sub Auspiciis*“ Academia haec jam effective quoque, juxta peculiare elaboratum Systema et Coordinationem, coaluerit, et actu operetur. Vide „*A' Magyar Tudós Társaság Alaprajza és Rendszabásai.*“

§. 34.

Academia Militaris.

Cum Statui multum intersit, ut Milites et Duces Scientia Militari, quae nostris temporibus ampla et dificillima evasit, sufficienter instructos habeat, necessariae redditae sunt Scholae et Academiae Militares, quarum Status Austriacus jam plures numerat. Quod attinet Hungariam, in hac quoque Reges et Status de mediis, quibus Militia cognitionem et habilitatem militarem sibi comparare valeat, satis multum et mature cogitarunt, prout id ex plurimis de Lustris et Exercitatio-

nibus latis Legibus ab anno 1555: 4. usque 1808: 3. abunde patet, imo jam 1723: 70. Status et OO. Regni eo Consilia sua direxerunt, „*ut in Academiis Statui quoque publico et Militari deservientia Studia tractentur, et per idoneos Professores tradantur.*“ — Maria Theresia pro Statibus suis 1746. Academiam Equestrem Viennensem fundans, insimul hanc Academiam proventibus Abbatiae Bátaszék eo fine dotavit, ut in ea etiam quindecim Nobiles Juvenes Hungari militaribus Scientiis docerentur. *) Hoc fine longe quidem serius 1802: 4. tres insignes patriotae notabiles fundationes fecerunt, ut ex iis „*in Academia militari Viennensi aliquot Juvenes, donec in Regno similis instituta fuerit, Scientiis Militaribus imbuantur.*“ — Mox vero 1808: 7. Status et OO. pro solito suo erga Principem et Patriam amore „*liberis oblationibus notabilem fundum conflarunt, ut Nationalis Academia Militaris in Regno erigi, et studia militaria promoveri possint.*“ — Academia haec, postquam Status et OO. a Sua Majestate inpertrarunt, „*ut Academia haec amoris Augustae Dominae* (Reginae eotum coronatae) *in Gentem Hungaram* memoriam conservatura *Ludovicea appelletur,*“ — Vatzii quoque aedificari coepit, sed ob temporum novercantium adjuncta, ad finem propositum perduci non potuit, licet pro ea etiam 1812: 2. plures notabiles oblationes factae fuerint. Tandem igitur anno 1827. 17. postquam hunc in finem novitus insignia Sacrificia lata, et pro emolumento Fundi Academiae tam antiquae aedes Theresiani olim Vatziensis, quam et fundi Concurrentialis supernatantia Interusuria, destinata fuissent, statutum est, „*ut attacta Academia, in quantum actualis ejus Fundus suppetit, absque ulteriori mora in Civitate Pe-*

stiensi erigatur." — quae jam effectivè quoque magnifice exstructa cernitur. — **) *Ultra haec, Sua Majestas Sacritissima Intentiones Regni Statuum, omni, qua par est, ratione secundatura, in testimonium propensi sui erga Gentem Hungaram affectus, se benigne dispositurum resolvit: ut Individua e Statu Militari ad praedictam Academiam in qualitate Docentium aut Inspicientium applicanda, Salariis et Stipendiis ex Aerario Militari provideantur; item ut Alumni, Stipendia sua et retinere, et consequi possint.*"

*) In Diaeta 1808. rogarunt Status et OO. Suam Majestatem, ut Bona Abbatiae Bátaszék ad Fundum Ludoviceae in Hungaria erigendae, referantur, vel, si Fundatio Theresiana in suo vigore manere debeat, ad minus superplus, detractis nempe expensis intertentionalibus quindecim Juvenum, fundo hujus Academiae relinquantur; Resolutionem Sua Majestas eam clementer elargiri dignabatur; *quod futurum in Theresianum Viennense quam plurimi Nobiles Hungari Juvenes recipientur.*" — Acta. Com. 1808. pag. 213. 237.

**) In hac Academia juxta praevias Constitutiones 120 potissimum Nobiles Juvenes in disciplinis Militaribus Commitialiter determinatis erudientur. Directores et Professores Sua Majestas denominabit, reliqua officia et Individua Sua Serenitas Palatinus Regni constituet et suplebit.

§. 35.

Museum Nationale.

Memorandum ultro venit Museum Nationale, aeque unum ex praecipuis Institutis Patrioticis, per Comitem Franciscum condam Széchényi fundatum, qui" *amplam lectamque Bibliothecam suam, Nummos item rariores, et Arma insignium Familiarum, uti etiam Mappas, ac Ico-*

nes, nec non manuscripta peculiari cura, sumtibusque per se collecta, usibus Nationis Hungarae, pleno Jure transcripserit, hisque fundamenta erigendi Musei Nationalis zelo laudabili posuerit." 1807. 24. Locum pro Museo Nationali Princeps Antonius Grassalkovits donaverat. Anno 1808. 8. Protectio illius Suae Majestati Sacratissimae, cura vero et suprema Directio Suae Serenitati Caesareo-Regiae Palatino Regni, *) concredita, atque insimul statutum est, ut oblationes Regnicolarum in hunc finem factae, incassentur, et in proxima Diaeta inarticulentur; officium vero pecunias incassans, Suae Serenitati rationes annue exhibeat, in synopsi etiam cum Jurisdictionibus communicandas. Inarticulatio oblatorum pro hoc Museo factorum subsecuta est 1827. 35. quo simul: *Pro singulari indesinentique cura, qua Serenissimus Caesareus Hungariae et Bohemiae Regius Hereditarius Princeps Archi-Dux Austriae, Dominus Josephus Regni Palatinus, Museum Nationale Hungaricum, non tantum provide conservare, verum ad florem illum provehere felici successu adnitebatur, qui et Culturam Nationis intenderet, et decorem ejus, ac dignitatem nova accessione illustraret: Status et Ordines publicam, eamque sinceram, ac perennem gratitudinem suam palam testantur, et una futuram quoque Instituti hujus consistentiam, ac incrementum, benignae altefatae Suae Celsitudinis protectioni ultra commendant.*" —

*) Sua Serenitas Caesareo Regia Palatinus Regni, pro innato suo amore et zelo, quid quid bonum, utile et pulchrum est, magnanime promovendi, Museum hoc etiam propriis oblatis multum adauxit, et locupletavit, atque tam pro ejus aedificio, quam et Systemate intrinseco peculiare Planum elaborari curavit, juxta quod Museum hoc intrinsece sequenti ordine coordina-

tum foret, ad sit. 1. Bibliotheca etiam quam plurima Manuscripta in se comprehendens. — 2. Collectio Numorum Hungaricorum (quae jam nunc pretiosa et memorabilis est) 3. Collectio Sigillorum Hungaricarum Familiarum. 4. Camera diversarum Antiquitatum. 5. Collectio Rerum Naturalium inprimis ex Regno animali, et minerali. 6. Collectio Technologica, id est fabricatorum artis, et eorum modulorum. 7. Collectio antiqui Styli lapidaris. 8. Collectio Iconum. — Museum hoc etiam per alios multis raritatibus donatum insignia in dies capit incrementa. Pro eo custodiendo constitutus est unus Director, plures Custodes, unus Regestrator, et Cancellista.

§. 36.

Archivum Regni.

Status et OO. Regni imprimis ab anno 1723: 45. et 1729: 13. solliciti fuere de erigendo Archivo Regni, quo omnia Acta et Instrumenta Literalia publica, et etiam privatorum, libere et tuto deponi possint, pro eoque Domum Regnicolarem, „*si Consilium Locumtenentiale Regium, cum Septemvirali et Judiciali Tabula, ad meditullium Regni translatum fuerit*," comparare volebant 1723: 106. Archivum Regni *) nunc jam effective in Domo Regnicolari Budae **) praeexistit, in quo, praeter acta publica diaetalia, etiam „*Archivum Domini Regni Palatini et Judicis Curiae Regiae*" conservari decernitur: 1807: 15.

*) Archivum Curiale ab hoc Archivo distinctum est, idque Pestini in Domo Curiali conservatur. Archivo Regnicolari praeest unus Archivarius, et Vice Archivarius, adest unus Cancellista quoque.

**) Quod Domus Regnicolares attinet: in Hungaria duae sunt, altera Budae pro asservandis Comitiis, item pro Sede Excelsi Consilii Regii L. H. atque pro Archivo Regnicolari conservando destinata, omnem ad elegantiam instructa; altera Posonii, quae

in sequelam 1723: 106. restauranda fuit, et 1753: ex aedificata est, aeque Palatiis splendidissimis cumprimis celebrandis Comitiis instructa. Existit una Domus Regnicolaris etiam Zagrabiae, pro celebrandis Municipalibus congregationibus Regnorum Slavoniae, Croatiae et Dalmatiae deserviens.

§. 37.

Propositiones Regiae.

Propositiones Regiae, quibus Sua Majestas desideria et necessitates suas Statibus et OO. Regni modo consveto per suum Cancellarium Secretarium declarare solet, diaetaliter pertractandae et a temporibus Ulad. D. II. 25. 1569: 5. — 1662: 1. — ante omnia assummendae veniunt *) sensu etiam 1790: 13. qui dicit „*Ut autem pertractatis debite propositionibus Regiis, cuncta justa Gravamina universorum Statuum et Ordinum Regni, in qualibet Diaeta, effective et inomisse tollantur.*“ —

*) An Deliberatio in Comitiis a propositionibus inchoanda sit, an ab gravaminibus; diversis temporibus, diversa constituta sunt: 1559: 2. — 1662: 1. — neque hodie lege statutum est, ut initium semper a Propositionibus *necessario* fiat, quin et 1825. per multa alia, demum ad propositiones itum fuisse, acta diaetalia perhibent.

§. 38.

Postulata et Gravamina Regni.

Regni Hungariae partiumque ei adnexarum Postulata et Gravamina, quibus Status et OO. Regni diaetaliter congregati, in sequelam etiam Instructionum suarum a Committentibus suis acceptarum, cuncta sua vota et desideria Regi pro-

ponere consveverunt, diaetaliter assummenda venire, patet jam ex ipso pacto, cum Arpade inito, (Cond. 3.) atque ex sensu et usu inde a temporibus Proto-Regis, ad nostra usque tempora, per omnia Decreta Regum edita, vigente. — Ut praesentia Gravamina in singula Diaeta tollantur, enascituris Gravaminibus vero deinceps semper in Diaeta intra triennium celebranda, medela feratur, statuitur 1622: 2. 1630: 25. 1659: 1. 1790: 13.

Observasse juvabit etiam illas Leges, quibus Gravaminibus enascendis obviatur, et quae potissimum huc redeunt:

1. Ne res et negotia Hungarica per alios, quam per Hungaros, tractentur 1659: 1. Cond. 3.

2. Ne officia aliis, quam Hungaris et quidem sine discrimine Religionum, conferantur, 1659: 1.

3. Ne quis in libero Religionis usu, ac exercitio a Rege, vel aliis quibusvis turbetur. 1659: 1.

4. Ne Judicia et Executiones legitimae turbentur: 1471: 12. 1566: 25. 1613: 34.

5. Ne Corona sub quocunque praetextu Regno efferatur, et aufferri patiatur. 1659: 1.

6. Ne sua Majestas intuitu Hungariae bellum moveat, vel militem extraneum inducat. 1608: 2.

7. Ne Rex uni Personae plura Beneficia Ecclesiastica conferat. Ulad. D. III. 56. 1723: 55.

8. Ne Rex Collegiis, Civitatibus, vel Monasteriis Ecclesiasticis bona conferat. Ulad. D. III. 55. 1715: 71.

9. Ne ex Cancellaria Regia Mandata, Patentales, Resolutiones, Intimata Legibus contraria, expediantur. 1543: 31. 1790: 12.

10. Ne Hungaria ad Normam aliarum Provinciarum regatur et gubernetur. 1790: 12.

11. Ne dimensiones Terrarum et tenutorum in futurum admittantur. 1790: 34.

§. 39.

Objecta in Articulo 67. 1791. expressa.

Ea, quae Respectu Jurium Regni et Regis Comitialium hucdum allata sunt, clara esse censeo, quia Legibus fulcita sunt. Cetera viris, rerum publicarum peritioribus pateant. Hic adhuc meminisse sufficiat; quod etiam objecta in articulo 67. 1791. expressa, tenore ejusdem articuli: *„in Leges Publicas, ea, qua diaetaliter conventum fuerit, ratione, transcribi valeant.* —

Jam taliter superatis Juribus Regiis Comitialibus, liceat Parte II. Jura Regis Reservata seu Propria, quae pariter, atque illa, Legum Tabulis et Documentis publicis continentur, specialiter adducere.

PARS II.

Complectens Jura Regis Hungariae Reservata.

§. 40.

Objecta Generalia Jurium Regiorum Reservatorum.

Nomine Jurium Regis Hungariae Reservatorum veniunt Jura illa, quae Rex vi muneris et auctoritatis Suae Supremae libere exercere valet, et solet. Jura haec pro diversitate objectorum varia, et multiplicia esse patet ex eo, quod omnem Civilis administrationis sphaeram vel ingrediantur, vel in se complectantur, eadem vero prae-

cipue in sequentia Genera sive Capita objectorum dilabuntur.

I-o. Est nempe primum et omnia praecedens Objectum ipsa *Aula Regia*, quae Majestatem Regiam circumdat.

II-o. *Jura Regis Reservata in Objectis Ecclesiasticis.*

III-o. *Jura Regis Reservata circa Scholas, Fundationes et alia Instituta publica.*

IV-o. *Jura Regis Reservata in Objectis Politicis, respectu Gubernii Civilis.*

V-o. *Jura Regis Reservata in Objectis Belli et Pacis.*

VI-o. *Jura Regis Reservata in Objectis Judicariis.*

VII-o. *Jura Regis Reservata circa Donationes, Nobilitatem, Privilegia et Grationalia.*

VIII-o. *Jura Regis Reservata in Objectis Cameralibus*, quo referuntur:

A. *Objecta Cameralia.*

1-o. *Bona et proventus Regni et Regis.*
2-o. *Res Montanistica.*
3-o. *Res Salinaris.*
4-o. *Res Tricesimalis.*
5-o. *Res Postalis.*

B. *Officia Cameralia.*

1-o. *Excelsa Camera Regia. H. A.*
2-o. *Diversae Administrationes et Praefectoratus.*

CAPUT I.

Complectens Jura Regis Hungariae Reservata circa Aulam Regiam.

§. 41.

Quid Aula Regia?

Ut tam multa et diversa objecta, quae ad Sphaeram Administrationis Civilis pertinere dignoscuntur, expedite et debite assummi, pertractari et decidi valeant, opus est Viris et Individuis, qui Regem in iis perficiendis adjuvent, quive eo ipso in primis Regni Officiis et Dignitatibus constituti, Aulae Regiae debitam Auctoritatem, et externum splendorem quoque concilient. *Viri hi, qui has cum Rege graves functiones obeunt, ac eo ipso in summis Dignitatibus constituuntur, huc adnumeratis etiam iis, qui unice Titulis et Honoribus, vel sic dictis Ordinibus suis, circa Personam Regiam versantur, Aulam Regiam constituunt.* Quod Reges Hungariae Aulam suam Regiam sive „*Palatium Regale, S. Lad. D. L. I. C.* 41." semper habuerint, et nunc quoque habeant, patet inprimis ex iis Legibus, quae Regi Hungariae Jus deferunt, ut Dignitates, Honores et Officia Personis de Patria et *Rege* bene meritis libere conferat. 1439: 15. 1526: 2. Ut Consiliarios suos e medio Hungarorum eligat. 1741: 15. Hoc sensu ad Aulam Regiam pertinent:

§. 42.

1. *Barones Regni Ordinarii.*

Ad Aulam Regiam de antiquo Regni Instituto nec non Legum Patriarum tenoribus, referun-

tur Barones Regni Ordinarii, qui nunc sunt: 1. *Palatinus Regni*, 2. *Judex Curiae Regiae*. 3. *Banus Croatiae*, *Slavoniae*, *et Dalmatiae*, 4. *Tavernicorum Regalium Magister*, 5. *Curiae Regiae Magister*, 6. *Janitorum Regalium Magister*, 7. *Pincernarum Regalium Magister*, 8. *Dapiferorum Regalium Magister*, 9. *Agazonum Regalium Magister*, 10. *Cubiculariorum Regalium Magister*, 11. *Nobilis Turmae Praetoriae Capitaneus*. — Part. I. tt. 94. 1764: 6.

§. 43.

Functiones Baronum Regni Solennes.

Rex Hungariae Ceremonialibus Baronum Regni functionibus, a quibus potissimum Titulos suos ducunt, saltem occasione maximarum Solennitatum, velut Coronationum vel Comitiorum utitur, non lege quidem, ast consvetudine antiquissima id secum ferente. *Solennes vero hae functiones* potissimum in his consistunt.

Palatinus Regni occasione Processus Coronationalis Neocoronando Regi, usque Templum, vel locum coronationis praeequitare, in Templo vero *Coronam* Regi praeferre, eandem una cum Primate Regni Capiti Regis apponere, et demere consvevit; —

Judex Curiae R. *Sceptrum*,

Banus Croatiae autem ***Pomum Aureum*** praeferunt. Occasione postremae anni 1830. solennissimae Coronationis Regiae,

Tavernicorum Regalium Magister, ***Pacem***,

Pincernarum Regalium Magister, ***Ensem S. Stephani***,

Cubiculariorum Regalium Magister vero, ***Crucem***, ante Neocoronandum Regem praetulerunt. Sequebantur vero Neocoronandum:

Curiae Regiae Magister, et
Turmae Praetoriae Capitaneus. —

Finito actu Coronationis, demum ad Solenne Prandium Regium Neocoronato Regi, Dapiferorum, Pincernarum, Curiae Regiae, Cubiculariorum, et Janitorum Regalium Magistri, diversas functiones, Titulis suis competentes, praestiterunt. *Plura de his videri possunt in Ceremoniali Coronationis de anno* 1830.

§. 44.

Functiones Baronum Regni Officiosae.

Praeter attactas functiones Solennes, inprimis occasione Solennitatum Aulicarum obeundas, ex Baronibus Regni, Palatinus Regni, Judex Curiae Regiae, Banus Croatiae, Tavernicorum Regalium Magister, Agazonum Regalium Magister, et Janitorum Regalium Magister in sphaera Administrationis Civilis quoque Lege determinatas Partes et *Functiones Officiosas* habent signanter:

§. 45.

Palatinus Regni.

Dignitas Palatinalis, prima post Regiam, Part. I. tt. 94. in Hungaria jam temporibus S. Stephani sub titulo Comitis Palatii existens, antiquitus cum diversis Officiis conjungebatur. Primum Palatinos, Sigillo Regis provisos, Lites judicasse, patet ex S. Lad. D. L. III. Cap. 3. Andr. II. D. art. 8. Sigism. D. VI: 1. Serius, in specie temporibus Mathiae I. D. 5. De Officio Palatinali peculiares XII articuli pronunciati fuerunt, quibus Officium et Auctoritas Palatini specialius determinabantur. Subseque Palatino Regni adhuc sequentia Officia et Dignitates delatae fuere: Est

Locumtenens Regius, Math. I. D. V. art. pal. 10. 1681: 2. Est Judex Regni Ordinarius. Math. D. VI: 68. Est Supremus Comes Comitatuum Pest, Pilis, et Solt articulariter unitorum. 1659: 76. Est Praeses totius Diaetae signanter Tabulae Magnatum 1687: 10. Est Regni et Insurrectionis Hungaricae Generalis et Supremus Capitaneus, 1715: 21. 1790: 5. Est Comes et Judex Cumanorum et Jazygum, 1715: 34. 1751: 2. Est Praeses Excelsi Consilii Regii Locumtenentialis Hungarici, 1723: 97. Supremam Directionem et Coordinationem Academiae Militaris, Ludoviceae dictae, sibi delatam habet, 1808: 7. Museum Nationale sub ejus directione constituitur, 1808: 8. Academiae Hungaricae Eruditorum Protectio aeque Palatino Regni concreditur, 1827: 11.

Palatini Regni specialia adhuc Jura sunt· Donationes ad vires 32 Sessionum bene meritis de Rege et Patria Nobilibus Personis semel, ac ea modalitate facere potest, ne majora corpora per eum, in plures minores partes dispesci valeant, 1609: 66. 1715: 33. Pro actu Statutionis Hominem Palatinalem nominat Est Judex controversiarum inter Comitatus de limitibus ortarum, 1618: 71. 1635: 18. Ad Tabulam Regiam Judiciariam suum Vice-Palatinum, et Protonotarium Palatinalem, hunc authentico Sigillo, pro Expeditionibus Judicialibus faciendis destinato, provisum, Math. I. D. VI: 20. utrumque sua auctoritate donominatum, sed per Regiam Majestatem approbatum, habet, 1559: 38.

§. 46.

Judex Curiae Regiae.

Legibus nostris Judex Curiae Regiae est simul Judex R. Ordinarius, Math. I. D. VI. 68. Co-

mitiis et Tabulae Septemvirali, absente, vel interessato Palatino praesidet, 1635: 15. 1687: 10. 1723: 24. Ad Tabulam Regiam Judiciariam suum Vice - Judicem Curiae Regiae, atque sui Officii Protonotarium, hunc authentico Sigillo Principalis sui provisum, habet, 1715: 28. Juxta 1723: 97. est in absentia Palatini etiam Praeses Excelsi Consilii Regii Locumtenentialis. (nunc etiam Praeses Regiae Scientiarum Universitatis Hungaricae.)

§. 47.

Banus Regnorum Croatiae, Slavoniae et Dalmatiae.

Est Praeses Tabulae Regiae Banalis, (ad quam suum Vice-Banum, et Protonotarium habet) 1723: 27. In Excelso Consilio Regio Locumtenentiali ejus Dignitati competens Sessio et Votum assignatur, 1790: 58. Est Supremus Capitaneus tam Regnorum Croatiae, Slavoniae, Dalmatiae, quam etiam horum Regnorum Insurgentis Militiae. 1808: 5. Praeterea consvetudine antiqua Confiniorum Banalium Supremus Capitaneus et Commendans.

§. 48.

Tavernicorum Regalium Magister.

Est Co-judex Tabulae Septemviralis, 1715: 24. Est Sedis Tavernicalis Praeses, in qua sic dictarum Civitatum Tavernicalium Causae in Via appellatae discutiuntur et deciduntur. Tavernicus pro his Civitatibus Tavernicalibus simul Auctoritate Judicis Regni Ordinarii pollet. Part. III. tt. 8. 10. Civitates hae etiam specialibus non nullis Statutis, nomine Articulorum Tavernicalium ve-

nientibus, gaudent. Tavernicus habet etiam suum Vice - Tavernicum. Art. Tavern. 12. 35.

§. 49.

Agazonum Regalium Magister.

Agazonum Regalium Magister Statibus et Ordinibus Regni ad Diaetam convocatis hospitia designat, 1647: 123. 1655: 18. Praeterea durante Diaeta sensu 1557: 7. de eo, ut Civitas sufficientia victualia habeat, providet, atque victualium pretia condigne taxat.

§. 50.

Janitorum Regalium Magister.

Janitorum Regalium Magister, sensu Ulad. D. III. 25. in Diaeta debito ordini observando invigilat, atque, si Vota diaetalia dubia sint, cujuslibet Votum singillatim requirit.

§. 51.

2. *Insignis Ordo Regis Sancti Stephani.*

Ad Splendorem Aulae Regis Hungariae pertinet etiam Insignis Ordo Regis Sancti Stephani. *) Ordo hic nullum Regale Officium in se complectens, sed tamen Honorem et Distinctionem maximam tribuens, per Augustam condam Reginam Mariam Theresiam, anno 1764. eo fine institutus est, ut eodem Civilia merita Personarum de Stemmate insignium, absque Nationum discrimine, remuneraretur. Magnus Magister hujus ordinis est Rex, Cancellarius vero Aulae Regiae Hungaricus, est simul ejusdem ordinis Cancellarius. Insignis

hic ordo, pro ratione personalis destinctionis, et meritorum, habet tres Classes. Ad primam Classem referuntur Ordinis hujus Magnae Crucis Equites, sensu primae Institutionis Individua 20. Ad secundam Classem Ordinis ejus Commendatores, Individua 30. Ad tertiam Classem Ordinis ejus Parvae Crucis Equites, Individua 50. Nunc jam primitivus hic numerus stricte non observatur, et Ordo hic etiam Extraneis confertur. *Plura de eo tenent Constitutiones Insignis Ordinis Equitum S. Stephani. Viennae* 1764. *editae.*

*) Praeter hunc ordinem nullus alter Ordo Equitum Hungaricus existit, neque Equites Aurati, qui occasione Coronationis per Regem attactione Gladio S. Stephani creantur, Ordinem Equitum constituunt. Austriaci tamen ordines, quos Hungari quoque meritis adipisci possunt, plures existunt, ut sunt: Ordo Aurei Velleris Civilis et Militaris. — Ordo Militaris Mariae Theresiae, — Ordo Leopoldi Imperatoris Civilis et Militaris, Ordo Coronae Ferreae. — (Orden der Eisernen-Krone.) Crux Honoris aurea et argentea Civilis. (Civil Ehrenkreuz.)

§. 52.

3. *Consiliarii Regii.*

Ad Aulam Regiam porro referuntur Regis Hungariae Consiliarii, quos Sua Majestas tenore Legum Patriarum, 1439: 15. 1509: 38. 1608: 10. a. cor. 1687: 8. suo arbitrio, et libere absque Nationum et Religionum discrimine eligit, ex quibus tamen ad res Hungaricas tractandas, sensu etiam aliarum Legum, inprimis Hungari adhibendi veniunt. Consiliariorum Regiorum plures Classes sunt, et nostris temporibus praecipue sequenti modo distingvuntur. Sunt nempe:

a) *Intimi Status Consiliarii Actuales* (Wirkliche Geheime Räthe.) quorum sub Nomine Leges Nostrae etiam Ministros Regios, —sensu 1608: 10. a.

c. intelligunt, quippe, quod hi omnes per Suam Majestatem inprimis ad intima, et interna negotia Cabinetti Regii discutienda et pertractanda adhibeantur. Ex Hungaris ad Supremum Status et Conferentiale Ministerium nunc unum Individuum operatur. De cetero Consiliarii Status intimi nunc plures sunt, et omnibus Titulus Excellentissimi competit.

b) *Status Consiliarii Referendarii*, (Staats-Räthe.) Praeter nempe attactum Supremum Status et Conferentiarum Ministerium, habet Sua Majestas Statuum suorum quoque Internum et Intimum Conferentiale Cabinettum, (Staats-Rath) ex pluribus Consiliariis et Referendariis consistens, ad quod ex Hungaris nunc tria Individua adhibentur.

c) *Consiliarii Regii Aulici Actuales.* (Hof-Räthe.) Horum sub Nomine unice Referendarii Actuales ad Excelsam Cancellariam Regiam Hungarico Aulicam constituti, intelliguntur.

d) *Consiliarii Regii Titulares.* (Königliche-Räthe.) Hunc Titulum quivis de Stemmate antiquiori Nobilitari Oriundus Nobilis, de Rege et Regno bene meritus, obtinere potest.

§. 53.

4. *Camerarii Regii.*

Ad Aulam Regiam continuative adhuc referri possunt, Decretis nostris quidem ignoti, ast in Aula Regia nunc in praecipua distinctione existentes Camerarii Regii Actuales, ad diversas functiones cerimoniales in Aula Regia occasionibus Solennium Audientiarum, et aliarum Pomparum asservari solitarum, obeundas, destinati, qui ob hunc finem aurea Clavi donati et insigniti conspi-

ciuntur et consvete Titulo Illustrissimi, ornantur. Camerariorum Dignitas antea solis Magnatibus conferebatur; Franciscus I. eam etiam Nobilibus coepit conferre.

§. 54.

5. *Aulae Regiae Familiares.*

Aulae Regiae Familiares temporibus antiquis in Diplomatibus etiam sub nomine *Aulicorum*, *Commensalium et Domesticorum Regiorum* veniebant. *) Titulus hic post tempora Ferdinandi I. exolevisse videtur, donec Augusta condam Maria Theresia Titulum Aulae Regiae Familiarium in Diplomate suo Restaurationali ddto 1mae Maji 1773. edito, rursus restaurasset, nuncque Titulus Aulae Regiae Familiarium in primis Honoratioribus Nobilibus de Stemmate antiquiori condescendentibus, conferri solet, qui adepto hoc Titulo aditum ad Regiam Aulam, Conversationes et Solennitates Aulicas, nec non certas partes in servitiis convivialibus obeundas habent, et aureata furca donati conspiciuntur.

*) In certo Diplomate Imperatoris Sigismundi de anno 1421. titulus sic sonat: „*Nobili et Egregio Stephano de Rozgon, — speciali Familiari Nostrae Majestatis et Continuo Commensali, Salutem et Gratiam.*“ — Dominus condam Schvartner in Statistica sua refert, se legisse Diploma certum Ferdinandi I. in quo aeque quidam Paulus Bakith titulo Aulae Regiae Familiaris compellatus occurrit.

§. 55.

6. *Nobilis Turma Praetoria Hungarica.*

Aulae Regiae accensetur etiam *Nobilis Turma Praetoria* Hungarica, tenore 1765: 6. „*ad*

Custodiam Sacri Corporis Regii destinata." — Turmae hujus Capitaneum sensu ejusdem Legis Sua Majestas nominat, qui eo etiam Dignitatem Baronis Regni Ordinarii obtinet. Individua vero 120, pro hoc praetorio servitio idonea, Comitatus et respectivae Jurisdictiones ex Nobili Juventute Hungarica proponunt. Fundus Cassae, ex qua Turma haec Praetoria sustentatur, in Diaeta 1827: 36. novitus coordinatus et restauratus est. *Caetera videri possunt in Resolutione Regia ddto* 11*ae Sept.* 1760. *et in Intimato Excelsi Consilii Regii L. H. A. ddto* 23*tiae Aug.* 1808.

§. 56.

Aula Reginarum Hungariae.

Aulam Reginarum Hungariae, dum in Throno regnante resident, eandem esse, quae Regum est, ex se ipso, atque ex §. 9. sponte fluit. Aula tamen Reginarum, qua Uxorum Regum Hungariae, Legibus nostris nihil peculiaris attributum habet. Verbötzius Imae tt. 94. nonnullos Barones Regni, nempe Tavernicorum, Janitorum, Pincernarum, Dapiferorum et Agazonum Regalium Magistros, etiam Titulo „*Reginalium Regni Baronum*," ornat. Consvetudine antiqua Episcopi Veszprimienses simul Cancellarii Reginae fuerunt, qui etiam Reginas coronare solebant. — A temporibus Maximiliani Regis 1559: 42. neocoronatis Reginis etiam honorarium offerri solet. — Consvetudine moderna Conjuges Regum habent Suam *Supremam Aulae Magistram*, (Hofmeisterin) et circa se quam plurimas *Dominas Palatii*, (*Dames du Palais.*) Praeterea Regina, Dominabus de Stemmate altiori natis, Ordinem

Crucis Stellatae, conferre solet, quae demum *Dominae Crucis Stellatae* (Kreuzstern-Damen) compellantur. Ordine hoc in Hungaria nunc 66 Dominae, Stemmate et Virtutibus insignes, gloriantur.

CAPUT II.

Complectens Jura Regis Reservata in Objectis Ecclesiasticis.

§. 57.

Religiones in Hungaria.

Cum in Hungaria quatvor legetenus receptae Religionis Christianae Species existant, utpote *A.* Religio Romano-Catholica, S. Stephani Libr. I. Cap. 1. 1723: 2. Ad hanc etiam Religio Graeci Ritus Unitorum sive Catholicorum refertur. *B.* Religio Graeci Ritus Nonunitorum 1790: 10. 27. *C.* Religio Evangelica Augustanae Confessioni Addictorum, et *D.* Religio Evangelica Helveticae Confessioni Addictorum. 1608: 1. 1790: 26. Itaque Jura Regis Hungariae quoque respectu singularum harum Religionum specifice consideranda veniunt.

§. 58.

A. Jura Regis H. Reservata in Rebus Religionis Ecclesiae Romano-Catholicae.

1. *Jus Patronatus Regis.*

Jura Regis Reservata in Rebus Ecclesiae Romano-Catholicae in temporibus S. Stephani ori-

ginem habent. Hungari enim primum opera et studio pientissimi hujus Regis ad Religionem Christianam conversi, ut iidem in hac Religione confirmarentur et docerentur, idem Rex, ac subseque etiam alii Reges Hungariae, complures Episcopatus, Abbatias, Praeposituras, et Ecclesias fundarunt, in easque viros, pietate, eruditione, ac meritis praecellentes illocarunt. Per has illocationes, ac uti Verbőczius dicit: „*per ejusmodi fundationes omnem facultatem Juris Patronatus nominationis, electionis, et collationis beneficiorum Ecclesiasticorum sibi acquisiverunt.*“ *Part. I. tt.* 11. 1790: 23.

Vi Juris Patronatus liberum itaque est Regi in Hungaria, Partibusque adnexis, non tantum omnes Dignitates Ecclesiasticas, Viris Ecclesiasticis, probitate et meritis eminentibus, conferendi, sed etiam eosdem utilitate, vel necessitate deposcente, ex uno loco ad alium transferendi, ac disciplinam externam Ecclesiae praescribendi; — si quos Praelatorum vel Personarum Ecclesiasticarum beneficiis suis abuti contingeret, eosdem a Beneficiis amovendi, vel si Ecclesias suas desolari permitterent, iisdem proventus sequestrandi, et in restaurationem ecclesiasticorum Ædificiorum convertendi. Part. I. tt. 11. Math. D. III. 18. 1723: 71. — Quod personae ecclesiasticae beneficialia bona nec alienare, nec oppignorare, nec aliis oneribus involvere valeant, id per se quoque, et sensu 1567: 31. clarum est. Hic adhuc observari potest, quod Archi-Episcopi et Episcopi per Suam Majestatem denominati, sui Confirmationem a Pontifice quoque impetrare consveverunt, quae Confirmatio, depositis certis taxis, nunquam emanere solet. — Sensu Part. I. tt. 11. Ferd. I. D. XII: 14.

Maria Theresia Intimato suo de Anno 1774 edito, item Josephus II. Intimato suo de anno 1780: 2da Maji et 1788: 15a Martii edito, circa successiones quoque Ecclesiasticorum Individuorum multa peculiaria constituerunt.

§. 59.

2. *Dignitates Ecclesiasticae.*

Dignitates Ecclesiasticas in Hungaria tenet *Clerus Major*, sive *Venerabilis Status Praelatorum*, — „*quo nomine ii dumtaxat, qui ex Regia collatione actualia et provisa beneficia obtinent, intelliguntur.*" 1715: 16; item *Clerus Minor*, qui beneficia sua extra collationem Regiam consequitur. Ad Clerum Majorem referuntur nunc in primis tres Archi Episcopi, utpote Strigoniensis, qui simul Primas Regni est, 1576: 15. et qui pluribus aliis quoque legalibus praerogativis gaudet, 1550: 64. 1557: 13. 1741: 10. etc. Item Archi-Episcopi Colocsensis et Agriensis Referuntur porro ad Clerum Majorem nunc 23 Episcopi Dieocesani, — inter hos 5 Graeci-Ritus Catholicorum. — atque 21 Episcopí Titulares, *) 155 Abbates, partim in realibus Abbatis constituti, partim saltem titulares Abbates. **) Denique 3 Praepositi Majores, Ecclesiarum Metropolitanarum, 21 Praepositi Majores Ecclesiarum Cathedralium, inter quos 3 Graeci-Ritus Cathol. Demum 3 Praepositi Majores Ecclesiarum Collegiatarum; Denique 96 alii Praepositi. ***) Ad Clerum minorem, caeteri, qui uti dictum, extra Regiam collationem beneficia obtinent, referuntur, et in summa totus Clerus in Hungaria Partibusque ejus, circiter 9000 animas constituit. Personae hae Ecclesiasticae, et inprimis Clerus Ma-

jor, multa peculiaria sua Jura et Praerogativas Legibus patriis concessas habent.

*) Licet Episcopi, Abbates et Praepositi Titulares, qua tales, realibus Beneficiis careant, cum tamen plerumque alia beneficia teneant, tum ex hoc, tum inprimis ex eo respectu, quod Majorum Titulorum digni evaserint, merito ad Clerum Majorem referuntur.

**) Sunt etiam in Hungaria nonnullae Abbatiae et Praepositurae ad Patronatum Illustrium Privatarum Familiarum pertinentes, signanter Abbatiae de Csatár, Hahoth, Ják, Pétzől, et Praeposíturae de Arce Kis-Martoniensi, Felső-Eőrs, Rátoth, et Vág-Ujhely, Pápótz, Arcis Agriensis, Canonicatus Chazmensis.

***) Sunt praeterea in Hungaria 3 Capitula Ecclesiarum Metropolitanarum. 21 Capitula Ecclesiarum Cathedralium, (inter haec 3 Graeci-Ritus Catholicorum: —) 3 Capitula Ecclesiarum Collegiatarum. 6 Canonicatus Ecclesiarum et Loca Credibilia.

§. 60.

3. *Jus Placeti.*

Vi Juris Summi Patronatus, ac inprimis Vi Supremae Dignitatis Regiae, competit Regi Hungariae in Rebus Ecclesiasticis etiam *Jus Placeti* exercendi, id est, Jus, ex Sede Pontificia venientes Ordinationes, Confirmationes, Juramenta, Bullas, Brevia, et idgenus dispositiones Pontificias, inspiciendi, eas acceptandi, vel prohibendi. Sensu Iae. tt. 11. et usu.

§. 61.

4. *Jus Prohibendi.*

Jus Prohibendi Regis Hungariae in Rebus Ecclesiasticis in eo consistit, quod Rex prohibe-

re et vetare possit, et soleat, ne Causae Ecclesiasticae neglectis Judiciis Regni Ordinariis ad Sedem Romanam deducantur, sed eaedem semper in Regno, etiam in suprema via appellatae, dum nempe Causae ad Pontificem appellantur, — medio Personarum Ecclesiasticarum, per Pontificem in Regno Hungariae delegandarum, decidantur. Sensu Math. I: D. III: 19. VI: 45. —

§. 62.

5. *Jus Regaliarum.*

Jure Regaliarum competit Regi Hungariae Jus in omnibus beneficiis et bonis Ecclesiasticis, quae sive morte naturali, sive Civili, Praelatorum et Personarum Ecclesiasticarum beneficiatarum, vacantia effecta sunt, succedendi, et proventus eorum percipiendi. Part. I. tt. 10.

§. 63.

6. *Jus circa Transitus.*

„*Cum Transitus a Catholica Religione ad alterutram ex Evangelicis, Principiis Catholicae Religionis adversetur, ne is temere fiat, occurrentes ejusmodi casus ad Sacratissimam Suam Regiam Majestatem referendi veniunt.*“ — 1791: 26. §. 13.

§. 64.

7. *Jus Statutis Synodalibus Inspiciendi.*

Dum Archi-Episcopi, et Episcopi Hungariae Synodos suas Ecclesiasticas celebrant, in his nihil, quod cum Legibus Patriis vel Juribus Re-

giis inconsonum esset, statui et decidi potest, quin imo omnia Synodalia Acta et Facta pro Approbatione Altissima Regia substerni debent. Sensu III· tt. 2. et usu.

§. 65.

8. *Jus circa Gravamina Ecclesiastica.*

Jus Gravamina et Differentias Ecclesiasticas, quas in Rebus Religionariis evenire contingit, exaudiendi, complanandi, et sufferendi Suae Majestati competit. Sensu 1548: 13. et usu.

§. 66.

9. *Jus Regium circa Scholas et Fundationes in Genere.*

Adhuc hic attingi potest Jus Regium circa Scholas, Fundationes et alia Instituta Literalia exerceri solitum: 1715: 74. 1723: 70. Vi Juris hujus competit Suae Majestati facultas Universitates Scienciarum, Academias, Gymnasia, Scholas, et Instituta Literalia erigendi, in iis normam studiorum ordinandi, Professores, et Docentes Cathedris literariis praeficiendi, Fundationibus Ecclesiasticis, et Scholasticis inspiciendi, eorum administrationem, et rationes investigandi, generatim omnia ea, quae ad partes eruditionis, studiorum, culturae, morumque pertinent, libere agendi, ordinandi, nominandi. Cum vero in Hungaria Scholae, et Instituta sub Regia Inspectione constituta, multa sint, eadem, qua talia, peculiari Capite exponentur,

§. 67.

10. *Res Ecclesiastica Graeci-Ritus Unitorum.*

Quod Ecclesia Graeci-Ritus Unitorum generatim iisdem Publicis Juribus et Immunitatibus gaudeat, quibus Ecclesia Romano-Catholica Latini Ritus, id universim constat. In specie vero eorum Res Ecclesiastica in Hungaria per tres Dioecesanos et Beneficiatos Episcopos (praeter Crisiensem in Croatia et Fogarasiensem in Transsilvania) gubernatur, utpote Munkatsiensem, Magno-Varadinensem, et Eperjesiensem. Clerus Major Graeci-Ritus Unitorum Primati Regni, Clerus Minor vero suis Praepositis subordinatur. Dignitates et Beneficia Majora Ecclesiastica Sua Majestas confert, quae postrema juxta peculiare Systema regulata sunt ita, ut singulus Episcopus circiter 12000 fl: V. V. annue percipiat. Durante vacentia Sedis Episcopalis, proventus interimales, juxta Resolutionem Regiam pro Graeco-Catholicis Episcopatibus in Regno Hungariae valentem, non Fisco Regio, verum fundo viduarum et orphanorum denatorum Parochorum et aliorum Sacerdotum cedunt. Vacantium vero Canonicalium Stallorum Proventus, aeque juxta peculiarem Resolutionem Regiam, pro sartis tectisque domorum Capitularium applicantur.

§. 68.

B. *Jura Regis Reservata in Rebus Ecclesiasticis Graeci-Ritus Non-unitorum.*

Graeci-Ritus Non-uniti, sive Ecclesiae orientalis Graeci-Ritus Asseclae, ex Statu privilegiali ad legalem traducti, et in Regno Hungariae Jure Civitatis donati, ac „*sublatis in contrarium san-*

citis legibus,“ acquirendorum, et possidendorum bonorum ac gerendorum omnium Officiorum in Regno Hungariae, Partibusque adnexis, capaces redditi sunt, **1790: 27.** „*Juribus*, — uti lex habet, — ***caeteroquin Regiae Majestati circa Negotia Cleri, Ecclesiae, Religionis, cujus exercitium plene ipsis liberum erit, Fundationum, Studiorum ac Juventutis educationis in salvo relictis.***“ Serius vero Sua Majestas, atque Status et OO. Regni, Graeci-Ritus Non-unitorum Metropolitae, sive Archi-Episcopo, atque Episcopis, Sessionem et Votum quoque in Comitiis dedere: **1790: 10.**

Tota Res Ecclesiastica Graeci-Ritus Non-unitorum gubernatur per unum Archi-Episcopum, sive Metropolitam, atque octo Episcopos beneficiatos. — Causae Ecclesiasticae eorum coram Episcopalibus Consistoriis deciduntur, et inde ad Forum Apellatorium Metropolitae deducuntur, unde demum ad Thronum Regium usque Appellata patet. Archi-Episcopus et Episcopi eorum Sede vacante, in Synodis, in quibus Commissarium Regium quoque interesse oportet, pluralitate Votorum eliguntur. Terminata electione, Commissarius Regius Acta Synodi, una cum Libellis supplicibus, in quibus electi sui confirmationem a Sua Majestate petunt, Regiae Majestati transmittit. Confirmatione Regia obtenta, electi demum Suae Majestati Juramentum fidelitatis praestant, et per Comissarium Regium ad beneficia sua introducuntur. Translatio Episcopi ex una Dioecesi ad aliam, aeque Suae Majestati reservata est. ***Plura videri possunt in Ordinat. R. de anno*** **1777.** —

*) Sub Leopoldo Magno 1690. GraeciRitus Non-uniti Asseclae, qui jam ex parte seculo XV. Sedes in Hungaria fixerunt, ex vicinis partibus Turcicis ad partes

Regni Hungariae inferiores a Turcis 1686 recuperatas, incolendas, evocati fuere, qui praeeunte Patriarcha Arsenio Csernovits numero magno, — circa 40000, — emigrarunt, et oras inferiores Regni impopularunt. Iisdem tunc Leopoldus Magnus, ac subseque Maria Theresia quoque diversa Privilegia et Immunitates concesserunt, imo anno 1741: 29. quaestus quoque liberam facultatem, — „*excepto in Partibus superioribus quaestu vini*“ — adepti fuerunt, donec tandem sub Leopoldo II. articulo attacto, plenam Civitatis libertatem obtinuerunt.

§. 69.

C. et D. *Jura Regi Reservata in Rebus Religionis Evangelicorum Augustanae et Helveticae Confessionibus Addictorum.*

Articulo 26. 1790. pro justo agnitum est, ut liberum Religionis exercitium Evangelicorum tam Augustanae, quam Helveticae Confessioni addictorum, in perpetuum restabiliatur, quo fine tam antiquiores de hac libertate sonantes Leges, quam et Pacificationes Viennensis et Lincensis (1608: 1. — 1647: 5.) renovatae sunt. *) Tenore praeattacti 26ti articuli, atque Vi suae supremae auctoritatis et Inspectionis in res Ecclesiasticas, Sua Majestas harum Confessionum supremus Protector et Defensor est. Itaque Sua Majestas Jura, et Libertates, Privilegia et Immunitates, quae Ecclesias Evangelicas respiciunt, conservat, et tuetur; in Rebus tam Ecclesiasticis, quam Scholasticis Evangelicorum supremam Inspectionem exercet; gravimina horum objectorum intuitu enata exaudit et decidit, fundationes Ecclesiasticas Evangolicorum in et extra Regnum existentes conservat; Evangelicos ad cuncta publica majora et maxima Officia quoque promovet; Studiosos Theologos Evangelicorum ad oras ex-

teras, causa referendae amplioris eruditionis, exmittit, Evangelicorum Consistoriis et Synodis tam diu etiam, donec ea uberius ordinata fuerint, invigilat.

*) Evangelici, uti notum est, eximias has Libertates, Pacificationi Viennensi et Lincensi superstructas, inprimis immortali Leopoldo II, ac Viris plurimis e Statu Catholicorum in Diaeta 1790 pro his Libertatibus decidentibus, in acceptis referendas habent. Verum tamen Evangelici adhuc tenore hujus 26ti articuli in Partibus Regni Hungariae adnexis, quippe Dalmatia, Slavonia, et Croatia, a possessione Bonorum, et ab Officiis quibusvis publicis, exclusi sunt. Liberum tamen manet Evangelicis, avita sua Jura, in medio eorum etiam Regnorum, ordinaria Juris via revindicandi, in quae, si possessorium adepti fuerint, „*Sua Majestas sibi reservat de eorum indemnisatione providere.*" — §. 14. — Evangelici in Hungaria sua Templa et Ministros, Scholas, et Docentes própriis viribus sustentant et intertenent; item in Locis usitatis, Episcopis Catholicis decimas praestant. Fora ecclesiastica Evangelici nulla habent. Causae nempe eorum Ecclesiasticae tantisper, donec acta eorum Synodalia, in quibus etiam Fora Ecclesiastica ordinari rogantur, per Suam Majestatem revisa et approbata fuerint, partim per Conventus eorum ecclesiasticos, unde appellata usque ad Thronum Regium patet, partim vero, et in specie causae divortiales, per fora Civilia Comitatensia deciduntur. Tota Res Ecclesiastica Evangelicorum utriusque C, gubernatur per Octo Superintendentias, qui suffragiis singularum Superintendentiae concernentis Ecclesiarum eliguntur. Habet praeterea ex parte Augustanae Confessioni Addictorum singula quatuor Superintendentiarum suum Districtualem Inspectorem, quibus praeest unus Generalis Inspector. Helveticae Confessioni addicti, penes quemlibet Superintendentem Supremum Curatorem, — Generalem autem nullum, habent. — His Supremis Curatoribus et attactis Districtualibus Inspectoribus subsunt Inspectores Tractuales ac respective Seniorales, quibus itidem Locales Ecclesiarum Inspectores subordinantur.

§. 70.

Religio Judaica.

Ex praemissis ultro sequitur, quod praeter dictas quatuor Religiones, nullae aliae in Hungaria sint legales. — *) Religio Judaica tamen in Hungaria quoque toleratur. De Conditione Judaeorum anno 1790: 38. id statum est; „*Ut Judaei intra ambitum Regni Hungariae, Partiumque adnexarum degentes, in cunctis Liberis ac Regiis Civitatibus et aliis Locis (non intellectis huc Regiis Montanis Civitatibus) in statu illo, in quo ad 1mam Januarii 1790 praefuerant, conserventur, et si nefors exturbati fuissent, ad eundem reponantur.*“ — Quod praeterea Judaei in Croatia, Dalmatia et Slavonia Sedes figere non possint, tenet 1729: 19. —

*) Ea itaque, quae Legibus nostris de Ismaëlitis, Colom. Lib. I. cap. 29. — Anabaptistis et Sacramentariis 1556: 26. et aliis sectis statuta reperiuntur, pro exoletis habenda sunt.

CAPUT III.

Jura Regis Hungariae Reversata circa Scholas, Fundationes et alia Instituta.

§. 71.

Jus Supremae Regiae Inspectionis in Scholas, Fundationes et Instituta.

Jus Supremae Inspectionis, Directionis et Coordinationis Scholarum, Fundationum et alio-

rum Institutorum publicorum, Vi summi Juris Patronatus, ad Jura Regum Hungariae Reservata pertinere, jam Capite priori § 66 adductum est. Jura vero haec Sua Majestas in Hungaria in primis medio Excelsi Consilii Regii Locumtenentialis Hungarici exercere solet. Restat itaque, ut eadem Jura et Objecta, cum de iis Legibus Patriae et Privilegiis Regum, multa sancita et instituta sint, specialius attingantur, ac proinde videndae sunt:

§. 72.

A. Scholae in Hungaria Partibusque ejus adnexis Romano-Catholicae.

Regia Studiorum Commissio Gremialis.

Objecta Studiorum et Literalia in Hungaria penes Excelsum Consilium Regium H. reguntur et diriguntur per peculiarem ***Regiam Gremialem Studiorum Commissionem***, quae suum Praesidem, quatuor Assessores, et duos Actuarios habet. Commissio haec omnibus in Hungaria Scholis, Do-Docentibus et Studiis, quorum normam docendi pro Scholis Romano-Catholicis praescribit, invigilat, et tam super moribus, quam et profectu discentium in Litteris, sibi semestraliter Classificationes Scholasticas, secundum praescriptas tabellas, submitti curat.

§. 73.

Districtus Literarii.

Tota Hungaria in quinque Districtus Literarios divisa est, utpote, ***Cassoviensem***, ***Magno-Varadinensem***, ***Jaurinensem***, ***Posoniensem***, ***et Zagrabiensem.***

§. 74.

Directores, et Prodirectores Scholarum.

Singulus Districtus suum ***Superiorem Regium Studiorum Directorem*** habet. His subordinantur ***Pro - Directores Academici.*** Adsunt, praeter hos, nunc duo ***Districtuales Inspectores Scholarum Nationalium*** (in Distr. Cassoviensi et M. Varadinensi). Praeterea Scholae Nationales quoque suos ***Locales Directores*** habent. — Superiores Studiorum Directores collectas Classificationes ad Excelsum Consilium Regium submittere, unde demum relationes et Tabellae Viennam ad Thronum altissimum promoveri solent.

§. 75.

1. *Scholae Nationales, Capitales et Normales.*

Scholae Nationales, sive Vernaculae, ubique per Hungariam, ejusque Partes reperibiles, et pro ratione inpopulationis locorum, vel fundi Scholastici, uno vel pluribus Docentibus provisae sunt. Scholae hae, si duos, tres magistros, sive Docentes habeant, *Scholae Capitales vocantur.* Ad has spectant etiam ***Scholae Normales***, passim ***Scholae Vernaculae Primariae*** dictae, quae a Scholis Nationalibus saltem eo differunt, quod in iis etiam artes Musicae et Graphidis suos Magistros habeant, et Scholis Nationalibus quasi pro norma deservire debeant. — Normales Scholae nunc in Hungaria 10 sunt. Ex Scholis Capitalibus et Normalibus pubes Scholastica, altioris eruditionis causa, ad Latinas Scholas promovetur, quae sunt:

§. 76.

2. *Scholae Grammaticales et Gymnasia.*

Scholae Grammaticales, in quibus cursus Scholasticus ad quatuor annos ordinatus est, nunc in Hungaria sex sunt. *Gymnasia*, quorum nonnulla *Minora*, nonnulla *Majora*, nonnulla *Archi-Gymnasia* sunt, in Hungaria simul numero 66. dantur. Docentur in his Scholis et Gymnasiis, studia et scientiae juxta Altissimo Loco praescriptum ordinem; Docent vero in iis praeprimis diversi Ordines Religiosi, utpote Piaristae in 25. — Benedictini in 8. — Praemonstratenses in 6. — Franciscani in 8. — Cistercitae in 3. — Minoritae in 2. — Laici, mixtim Clericis in 14. Scholis et Gymnasiis. Singulum Gymnasium habet suum Directorem, Exhortatorum, et plerumque sex Docentes in totidem Classibus musis sacra libantes.

§. 77.

3. *Academiae Regiae, Lycea, et Studia Philosophica.*

Academiae Regiae, in singulo Districtu una, itaque in simul quinque sunt, utpote *Posonii*, *Jaurini*, *Magno-Varadini*, *Cassoviae*, *et Zagrabiae*. In singula harum Academiarum adest unus Pro-Director, Exhortator Academicus; et preaeterea duae Scienciarum facultates, utpote Juridica, et Philosophica suos habent Cathedrarum Professores. Academiis his accenseri possunt *Lyceum Archi-Episcopale Agriense*, *) et Quinque-Ecclesiense, **) utrumque duas facultates, quippe Juridicam, et Philosophicam Professoribus providet, prius vero etiam peculiarem Speculam Astro-

nomicam habet. Memoranda praeterea hic veniunt duo. *Studia Psilosophica*, unum *Szegedini*, aliud *Sabariae*, existentia.

*) Canonicus Georgius condam Foglár, Agriae pro docendo Jure Patrio fundationem cum 50,000 fl. fecit. Hoc Lyceum per Josephum II. sublatum quidem fuit, post mortem tamen ipsius rursus restauratum est. Ejus supremam Directionem juxta mentem Testatoris, Curia Regia Suae Majestatis sibi creditam habet, ut patet ex 1741 : 44.

**) Quinque-Ecclesiis anno 1832. apertum est Lycaeum, quod praeclara liberalitate Illustrissimi Domini Liberi Baronis, Ignatii Szepesi, Episcopi ejusdem Dioecesis, fundatum est.

§. 78.

Universitas Regia Scientiarum.

Universitas Regia Scientiarum, *sive Studiorum*, initio suae fundationis Jesuitis concredita erat, verum deleto eorum ordine (1773.) ad hanc Universitatem Professores ex Statu Civili quoque applicari coeperunt. *) Josephus II. Culturae amantissimus, et ipse quoque cultissimus, in hac universitate peculiarem Studiorum ordinem introduxit, eandem Professoribus pluribus, et inter hos duobus ex Religione Evangelicorum Augustanae Confessionis, ampliavit. Professores adauctis Salariis, Discentes introductis Stipendiis ad majorem diligentiam exstimulavit. — Universitas haec habet suum *Praesidem et Vice-Praesidem*, item *Magistratum Academicum*, qui uno *Rectore Magnifico*, quatvor Decanis, et quatvor *Senioribus Facultatum* constat. — Pro docendis quatvor Scientiarum Facultatibus habet 48. Cathedras destinatas, praeterea duos Adjunctos et sex Assistentes. Singula Facultatum habet

suum *Directorem et Praesidem*, — Facultati Medicae praeest unus *Regni Proto-Medicus*, qui ad Excelsum Consilium Regium, qua simul Referens in Objectis Rei Sanitariae, inter Consiliarios assidet; — ab anno 1804. vero pertinet ad hanc Universitatem, praeter Professorem Oculisticae, etiam unus *Oculista Regni*, cujus officium est, Hungariam peragrare, et morbos oculorum curare. Singula Facultas habet praeterea sua *Graduata et Ingremiata Commembra.* — Praesides et Professores omnes Sua Majestas denominat, qui ab anno 1807. Juramentum fidelitatis quoque Suae Majestati praestare solent. — Universitas haec habet suam amplam Bibliothecam, Speculam Astronomicam (Budae in monte S. Gerhardi) Clinicum medicum, Laboratorium Chemicum et Physicum, Institutum Veterinarium, Hortum Botanicum, Musaeum Rerum Naturalium, Collectionem Mineralium, et Numorum, item suam Typographiam. Universitas haec habet sibi collatum Jus Gladii quoque. Habet sua ampla bona, et peculiarem Fundum, ut infra attingetur.

*) Universitas haec fundata est primum Tirnaviae 1635. per Archi-Episcopum Strigoniensem Petrum Pázmány, qui eandem 100,000 flnor. Capitali dotavit, et in ea Institutionem Jesuitis concredidit. Ferdinandus II. eandem adhuc eodem anno solemni Decreto ratihabuit, et pluribus privilegiis donavit. Ferdinandus III. fundum hujus universitatis, donata ei Praepositura Thurotz adauxit, et licet initio hac in Universitate saltem Studia Philosophica et Theologica tradebantur, serius tamen Liberalitate Primatum et aliorum Privatorum, aliae quoque Cathedrae erigi coeperunt. Georgius Lippai pro Cathedra Juris Patrii 15000 fl. fundavit. Emericus Losi aeque tantum legavit. Universitas haec initio per se ipsam dumtaxat, quin Regimen Publicum ejusdem notitiam summeret, subsistens, Nomen Universitatis (Archi-Episcopalis) Societatis Jesu Tirnaviensis gessit. — Quoad Systema docendi, praeter art. 70: 1723. quo Status et OO. Regni in omnibus Scholis et

Academiis ad normam exterarum Universitatum, Studia doceri voluerunt, usque ad tempora Mariae Theresiae vix aliud constitutum est, verum tandem immortalis haec Musarum Moecenas anno 1770. eandem ad Normam Universitatis Viennensis reformare coepit, collata ei insimul Abbatia Földvár, cujus ex amplis proventibus mox etiam Cathedrae Juridicae ampliatae, et tota Facultas Medica cum pluribus aliis Cathedris, erecta exstiterunt. Ab hoc inde tempore Maria Theresia Jus supremae Inspectionis et Denominationis Professorum, hac in Universitate, inprimis abolito Ordine Jesuitarum, exercere coepit. Demum 1780. Tyrnavia Budam, hinc vero 1784. Pestinum translata est.

§. 79.

5. *Convictus et Stipendia Regia.*

Ad Scholas referuntur etiam Convictus, in quibus inprimis Juventus Nobilis Institutionem in diversis Scientiis, prae caeteris vero in Religione Romano-Catholica, gratis obtinet, ac hospitio et victu quoque providetur. *) Josephus II. quidem Convictus, et in iis Juventutis Monasterialem educandi modum temporibus suis inaccomodata censens, omnes Convictus 1784. sustulit, et eorum proventus in Stipendia, Studentibus bene moratis et eminentibus, solvenda, commutavit; verum post mortem ipsius Convictus iterum restaurati sunt, sed mos quoque Stipendia solvendi ex parte retentus est. Itaque post mortem Josephi primus Convictus anno 1796. Zagrabiae pro 46 Croaticis Alumnis Nobilibus apertus est, quo Rex 28 Alumnos, caeteros vero Episcopus et Fundatores reliqui nominant. Etiam Cassoviae 1798 pro 42 Beneficiatis Nobilibus Juvenibus Convictus institutus est, in quem Rex 18 Alumnos designat. — Magno-Varadini anno 1800 pariter pro 58 Alumnis Nobilibus Convictus fundari coepit, sed

ob novercantium temporum adjuncta, — quo inprimis scala spectat, — adusque ad effectum deductus non est.

Stipendia Regia nunc duas Classes habent, aliam cum 200 flnis, aliam cum 160 fl. solvi solitam. Titulo Stipendiorum nunc circa 50,000 fl. distribuuntur.

*) Primum Convictum pro 26 Nobilibus Alumnis fundavit Tyrnaviae Petrus Pázmány anno 1624., ex proventibus Piseti (art. 43 : 1741.) demum, Rex Ferdinandus II. pro 12 Nobilibus Alumnis aeque 2000 fl. hoc titulo resolvit. Itaque inprimis opera et zelo Jesuitarum effectum est, ut jam 1784. in Hungaria et Croatia 17 Convictus numerarentur.

§. 80.

6. *Scholae Cathedrales, et Capitulares.*

Ad Convictus referri possunt etiam, *Scholae Cathedrales et Capitulares, sive Seminaria Cleri Junioris*, quales fere singulus Episcopus in sua Dioecesi providet, et quae sub Inspectione ipsius Episcopi constituuntur.

§. 81.

7. *Generale Seminarium Pestiense.*

Praecipue hic memorandum venit *Generale, sive Centrale Seminarium Pestiense*, quod Facultati Theologicae Universitatis accensetur, et in quo nunc circa 60 Juvenes Clerici, pro futuris Theologiae Professoribus et aliis Dioecesanis muniis erudiuntur. Habet Seminarium hoc suum peculiarem Fundum, nunc in circa 20,000 fl. inferentem. Fundum hunc administrat Archi-Capitulum Strigoniense, cujus Rector super annuis

proventibus, et expensis Excelso Consilio Regio L. H. Rationes reddit. In hoc Generali Instituto Rectorem et Vice-Rectorem, atque Professores eligendos, Facultas proponit, Praeses candidat et Excelso Consilio R. L. H. refert, quam Candidationem cum Primate Regni, aut seniore Archi-Episcopo communicare, ac demum Suae Majestati pro Denominatione substernere solet.

§. 82.

8. *Seminarium Pázmánitarum.*

Existit etiam Viennae pro Honoratiore Juventute Hungarica fundatum *Seminarium Clericorum*, a Fundatore Petro Pázmány, *Pázmánitarum*, appellatum. Seminarium hoc, alias etiam *Convictus Caesareo-Regius Viennensis*, compellatum, sub Rectoratu unius Canonici Strigoniensis constituitur, et in eo circiter 30 Alumni erudiuntur.

§. 83.

B. Scholae Graeci-Ritus Unitorum.

Scholae Graeci-Ritus Unitorum, sive Catholicorum, in Hungaria ad Normam Scholarum Romano Catholicarum coordinatae sunt. Schola eorum praecipua est: *Lycaeum Episcopale Ungvariense*, in quo quatvor Professores Philosophiam et Theologiam docent, — exceptis nempe Scholis minoribus, quae aeque suos Docentes habent. Quod Clerum Juniorem, in Dioecesi Munkatsiensi attinet, ille de regula in *Regio Episcopali Seminario Ungvariensi studet*, sed suos Alumnos etiam in aliis Seminariis habet. *) — Lycaeum Ungvariense suum Prodirectorem, Seminarium vero suum Rectorem, Altissimo Loco denominatos, habent.

In Dioecesi Magno - Varadinensi existit aeque unum Gymnasium in Oppido Belényes, per Episcopum Samuelem Vulkán anno 1826. erectum et fundatum, atque per Suam Majestatem ratihabitum. In eo septem Cathedrae Scientiis destinatae sunt, sed nunc tantum quatvor Professoribus provisae existunt, tantisper nempe, donec amplior fundus, ex quo ceterae quoque Cathedrae provideri valebunt, conflari potuerit. Habetur in hac Dioecesi in Oppido Várad - Olaszi Seminarium quoque pro seculari Juventute Valachica, pro 26 Adolescentibus, per Suam Majestatem Sacratissimam, medio B. Resolutionis ddto 21mae Febr. 1792. editae, fundatum. Pro cetero Clero Juniore Dioecesis haec Seminario distincto caret, sed Clerus hic in aliis Seminariis educatur, signanter in Magno - Varadinensi Episcopali Lycaeo Latini - Ritus nunc habet 13, in Generali Seminario Pestiensi 2, in Regio Convictu Viennensi 3, Tyrnaviae 2, denique in Seminario Ungvariensi 8. Theologiae Auditores. Directorem Scholarum Nationalium hujus Dioecesis aeque Sua Majestas denominat.

In Dioecesi Eperjesiensi adsunt nonnullae Scholae minores, Clerum vero suum Juniorem aeque in aliis Seminariis educat.

*) In specie nunc in Caesareo Regio Viennensi Convictu sunt 3. In Generali Seminario Pestiensi 2. In Archi-Episcopali Seminario Tirnaviensi 15. Alumni.

§. 84.

C. Scholae Graeci-Ritus Non-unitorum.

Ecclesiae Graeci-Ritus Non-unitorum Asseclae, praeter plurimas Scholas Nationales (circa 550.) atque Scholas Grammaticales (Temesvarini, Mis-

koltzini, Verschetzini) unicum Gymnasium, nempe Carlovitzense, habent, ex quo Classificationes aeque Excelso Consilio Regio submittuntur. Praeterea habent duas Scholas Praeparandorum, alteram Zomborini, pro Illyriis, alteram Vetero-Aradini, pro Valachis. — Habent praeterea suos Fundos Scholarum, Generalem et Particularem, qui per peculiarem Deputationem administrantur. Scholae Graeci-Ritus Non-unitorum habent praeterea suum Superiorem Inspectorem, et sex Districtuales Scholarum Directores.

§. 85.

D. Scholae Evangelicorum utriusque Confessionis.

Cum Articulo 26: 1790. Res Scholastica Evangelicorum, pro libera eorum coordinatione et institutione, relicta sit: hinc eorum docendi Methodus Altissimo Loco quidem non praescribitur, Classificationes Scholasticas tamen Excelso Consilio Regio L. invalescente consvetudine, annue submitti solent. Juventus Evangelica Scholas Romano-Catholicas libere frequentare, et de antiqua consvetudine, obtento Indultu altissimo, ad exteras oras quoque, referendae amplioris eruditionis et experientiae Causa, exire solet. Juventus tamen Catholica, Scholas Nationales Evangelicorum, absque scitu Parochi localis, — scholas altiores vero, absque indultu Regio, frequentare non potest. Int. ddto 5tae Dec. 1798. item 12mae Sept. 1797· Scholae Evangelicorum habent etiam suos Generales et Supremos, item Districtuales, atque Locales Inspectores, in respectivis Conventibus Evangelicorum electos. Praecipuae Scholae Evangelicorum, Augustanae Confessioni Addicto-

rum, sunt Posonii, Sopronii, Eperjesini, et Kesmarkini, — quibus proxime accedunt Schemnitziensis, et Mező-Berényiensis, Leutschoviensis, et Modrensis. — Helveticae Confessioni Addictorum vero Debreczini, Sárospatakini, Papae et Nagy-Kőrösini, — quae postrema prioribus ab hinc annis, potissimum laudabilibus et magnis sacrificiis solius Oppidi Nagy-Kőrös exstructa, et 183⅔ anno, jam aperta est. His accedunt Losontziensis et Miskoltzensis. Memoranda hic praeterea venit Academia Viennensis, quam Sua Majestas Sacratissima, nunc gloriosissime regnans Rex noster Clementissimus et Augustissimus, FRANCISCUS Primus, sano munificentissime et magnanime eo fine instituit, ut Juventus Evangelica totius ditionis Austriacae, loco exterarum Orarum, in hac Academia Scientiis et Studiis necessariis, in primis vero Theologicis, imbui possit.

§. 86.

Officium Revisoratus Librorum.

Attingendum ultro venit sub Inspectione Excelsi Consilii Regii existens, *Officium Revisoratus Librorum*, quod inprimis Censura Librorum in Hungaria prodeuntium occupatur, et pro diversitate Lingvarum, in quibus libri editi, atque sphaerae literariae, in qua scripti sunt, pluribus Revisoriis Individuis constat. In Hungaria Censura jam post Reformationem sub Ferdinando I. 1553: 24. demum inprimis sub Leopoldo I. invalescere coepit. Pro norma Censurae deserviunt peculiares Instructiones Regiae, quibus inprimis contra Regimen, et Religiones Lege receptas, libros scandalosos scribere, aut inprimi admittere, vetatur.

Quoad Libros Exteros ad Hungariam venientes, Viennae peculiaris Commissio existit, quae certos Catalogos super Libris, quorum illatio in Regnum *admittitur* vel *transit*, omni mense Bibliopolis Hungaricis submittit.

§. 87.

Fundationes in Genere.

Multa, utilia et insignia sunt illa Fundationum Monumenta, quibus nostra Patria gloriari potest. Reges enim atque Privati, inde a temporibus Proto-Regis, ad nostra usque, non desierunt symbolas suas, dignas optimo Cive, ad Altare Patriae cumulare. Ut omittam cetera antiquiora, Sua Majestas Sacratissima, cujus Gubernio Providentia Divina concrediti sumus, Exempla Beneficientiae et Clementiae suae quam plurima exhibuit; Academiam Montanam Schemnicziensem largissime dotavit; Academia Viennensis pro Juventute Evangelica destinata, solius Suae Majestatis Fundatione instituta est, et alia quam plurima Instituta, Convictus et Scholas partim munificentissimis Oblationibus, partim Privilegiis ditavit, auxit, donavit.

Exempla vero recentium insignium patrioticorum Oblatorum, et beneficorum Institutorum, non desunt in ipsis publicis Legum Tabulis legenda, 1802: 4. 1807: 24. 1808: 7. 8. 1812: 2. 1827: 12. 17. 18. Ut taceam Nomina condam Szirmay, Hrabovszky, Pázmány, Foglár, Bibits, Lövenburg, Szétsényi, Barkótzy, Károly, Esterházy, Georgii Festetits, et plurima alia instar syderum in horizonte Hungariae perennatura, cujus non animum, Nomen Episcopi Baronis Ignatii Szepessy, Fundatoris Lycaei Quinque-Ecclesiensis,

gratitudinis sensu percellat? Cui non subeat Illustris Unio Matronarum Hungararum, quae Pestini et Budae sub Praesidio I. Comitissae Annae Mészáros-Teleky, perenni memoria dignae, in egenos plurima et notabilia beneficia confert. Singulus fere Comitatus et Districtus gaudet aliquo benefico Instituto, in quibus fundandis et jam fundatis, prae ceteris Liberae Regiae Civitates, quarum singula suum publicum Nosocomium, nonnullae vero plura benefica Instituta habent, laudabiliter excellunt.

Haec et multa alia nimium praeclara sunt. Omnium vero Supremam Inspectionem Sua Majestas habet: 1723: 70. et medio Excelsi Consilii Regii, Fundationes „*ad mentem Fundatorum*,“ administrari facit: 1790: 23.

§. 88.

Fundationes Publico-Politicae.

Praecipue hic memorandae veniunt, *Fundationes Publico-Politicae*, quae insigni Munificentia Augustae condam Reginae Mariae Theresiae, ex bonis abolitorum Jesuitarum, solenni Privilegio Donationali de anno 1780. edito, pro Fundis Studiorum Universitatis, Religionario, Convictuum et Stipendiorum collatae ac destinatae sunt, et quae Fundationes partim in Ære parato, (juxta Schvartnerum circa 2,000,000 fl.) partim in Civicis Ædificiis, partim denique in Bonis immobilibus possessionariis, *) consistunt. Bona haec cuncta sub Inspectione Excelsi Consilii Regii constituuntur, ubi suum peculiare Departamentum, suum Causarum Politico-Fundationalium Regium Directoratus Officium — cum Directore et tribus Fiscalibus centralibus, — unam Cassam

Generalem, et plures filiales; Officium Rationum Exactoratus, et Cancellariam habent.

*) Quod in primis Bona Politico Fundationalia attinet:
1. Ad Fundum Studiorum spectant: *Dominium Vörösberény, Curia Tybe, Dominium Sajólád, Mislye, et Boroszló, item Szekszárd, Szkalka, Kulyeva, Bonum Magno-Varadinense.*
2. Ad Fundum Universitatis pertinent: *Dominium Pétsvárad, Földvár, Sellye, Zniø-Váralya, Trium-Szléts, Bozok.*
3. Ad Fundum Religionarium referuntur: *Aedificium Pestiense, et Posoniense, Dominia Czegléd, Maroth, et Csalnok. Bonum Vörösmárth, Kenderes, Maria-nostrense, Baránd, Dominium Püspök-Ladány, Somlyó, Vásárhely, Nyavalyád, Rokolán, et Potka, Bonum Moisár, Dominium Magots, Vaiszló, Elefánt, Zobor, Kolos, Család, Csata, et Vulkapøle; Dominium Vukovina, Csakovár et Nagyköveres.*

§. 89.

Domus Fiduciariae.

In prosecutione Institutorum publicorum memorandae veniunt *Regiae Domus Fudiciariae.* — *Zálog házak* — quarum altera Posonii anno 1773, altera Budae, 1787. erecta, sed haec 1803 Pestinum translata est. *) Instituta haec habent suam Commissionem Directivam, Praeside, et duobus Assessoribus constantem, complures praeterea subalternos Officiales in Domibus Fiduciariis servientes. Subsunt vero Domus hae Supremae Inspectioni et Directioni Excelsi Consilii Regii H. —

*) In Hungarico Littorali, Civitate Fluminensi, etiam una Domus Fiduciaria (Mons Pietatis) Stainbergiano-Publico-Civica existit. Haec anno 1657 per Nobilem Familiam Steinberg erecta, postmodum tamen nimium exhausta, novis Civium Collationibus restaurata est.

§. 90.

Domus Correctoria.

Domus Correctoria, cui Malefactores eo fine, ut ibi labore, saepe adjectis verberibus quoque, ad frugem reducantur, includi solent, erecta est, 1794. Szegedini, eadem interim praecipue ab Causam, quod certo Fundo, ex quo sustentetur, carèat, exolescere videtur. — (Sua Majestas pro meliori subsistentia hujus Instituti ex Proventibus Domus Fiduciariae Posoniensis annue 2000 fl. resolvit, praeterea pro singulo delinquente dietim 9. xri soluuntur) Inspectionem Supremam hujus Instituti aeque Excelsum Consilium Regium sibi creditam habet. Domui vero et Delinquentibus unus Praefectus et unus Contraagens invigilari curant.

§. 91.

Institutum Surdo-Mutorum Vacziense.

Memorabile est in Hungaria *Regium Surdo Mutorum Institutum Vacziense* anno 1802 apertum, quod aeque Supremae Inspectioni Excelsi Consilii Regni subest, et quod ex magnanima Fundatione nunc gloriosissime regnantis Regis Nostri facta Surdomutos Alumnos 20. Alumnas 10, nutrit, sustentat, educat. Adsunt in hoc Instituto privatae quoque Fundationes, (nunc 7) et Fundus hujus Instituti in dies accrescens, jam plus minus 150,000 fl. C. M. efficit. Institutum hoc suum Directorem, et quatuor Ordinarios Professores habens, super progressu et moribus suorum Discipulorum, quovis Semestri Tabellas et Relationes Excelso Consilio Regio submittere solet.

§. 92.

Institutum Pensionale.

Institutum Pensionale per nunc Gloriosissime Regnantem Suam Majestatem Clementissime opprobatum, et ab anno 1797. in vigore existens, sub Inspectione Excelsi Consilii Regii constituitur. Componitur vero una mixta Deputatione, quae suum Praesidem, complures Assessores, et duos Cassae Officiales habet. Ad hoc Institutum usque annum 50mum Officiales seu in Publicis et Regiis, sive in privatis Servitiis constituantur, (exceptis in genere militibus) recipiuntur, et certis sub Conditionibus etiam Medici, Chirurgi, et Apothecarii ejusdem instituti participes fieri possunt. Destinatio praecipua hujus Instituti est, aetate vel infortunio confectis Officialibus, aut eorum relictis Viduabus adjumenta praestare. Habet vero duas Classes, et titulo radicalis Capitalis ad primam Classem 200 fl. V. V. ad secundam 100 fl. V. V. deponuntur, et pensio quoque tot florenorum obtinetur. ***Plura de his in Statutis Instituti videri possunt.***

§. 93.

Institutum Coecorum.

Institutum Coecorum obtenta Altissima Ratihabitione Regia, ex meris notabilibus Privatorum oblationibus, praeeunte exemplo Sua Serenitate Regia, Regni Palatino, sub Diaeta anno 1826 Posonii coaluit, inde mox Pestinum deductum et uberius organisatum est. Fundus ejus in dies accrescens, jam circa 45000 fl. Conv. constituit. Adsunt in eo unus Dirigens Docens, cum aliis duobus (memoratu dignum! hi duo aeque coeci, et

in omnibus scientiis versati Viri sunt) Docentibus. Adsunt praeterea quatuor Magistri Opifices, qui ibidem nunc 11. Coecos beneficiatos Alumnos, et 2 Alumnas in Literis, Musica, et diversis Mechanicis Artibus instruunt. Instituti hujus supremam Inspectionem Serenitas Sua Caesareo-Regia, Regni Palatinus, sibi creditam habet. Instituti vero Fundationales summas, Cassam, Coordinationem intrinsecam, et rem Oeconomicam, una perennis mixta Deputatio, potissimum sub Praesidio Ordinarii Vice-Comitis Pestiensis Comitatus, administrat, ordinat, curat.

§. 94.

Regiae Lotteriales Administrationes et Collectiones.

Instituta et Lusus Lotteriae anno 1751. ad Statum Austriacum per speciales Patentales introducti, demum 1762. etiam ad Hungariam transderivati fuerunt. *) Nunc in Hungaria Administrationes Lotteriales tres existunt, utpote *Budae, Cassoviae et Temesvarini*, quae omnes Supremae Lotteriali Administrationi Viennensi, — et nequaquam Camerae Regiae Hung. subordinantur. Singula vero Administratio multas et in quovis notabiliori Loco plures etiam particulares Collectiones Lotteriales habet.

*) Instituta Lusus Lotterialis, etsi Legibus ignota, neque de cetero ad Jura Regalia Hungarica spectantia sint, hic tamen in Complementum Institutorum publicorum attacta sunt.

CAPUT IV.

Jura Regis Hungariae Reservata in Objectis Politicis respectu Gubernii Civilis Publici.

§. 95.

Dicasteria et Jurisdictiones Politicae.

Civile Gubernium Publicum et Politicum in Hungaria, Partibusque ejus adnexis, exercetur medio nonnullorum ***Dicasteriorum, atque Jurisdictionum Politicarum***, quae eo respectu hic cunctae attingendae veniunt.

§. 96.

A. Respectu Hungariae.

I. *Excelsa Cancellaria Regia Hungarico Aulica.*

Primum et Supremum atque Generale respectu Hungariae Dirigens Dicasterium Politicum est: ***Excelsa Cancellaria Regia Hungarico-Aulica***, — etiam ***Major*** dicta, — ad Latus Regium Viennae existens. Cancellaria haec non tantum ex obtutibus politicis Suprema Potestate, ***Nomine et ad Mandatum***, atque etiam ***Jussu Regio***, totam Hungariam, partesque ejus adnexas, regit, sed etiam Supremam Executivam Legum Potestatem exercet. Excelsa haec Cancellaria hic, qua Politicum Dicasterium considerata, pertractat omnia ea, quae ad Jura Regis Reservata, et Communia, generaliter et specialiter pertinent. Hic itaque aguntur omnia Publico-Politicum Statum Hungariae con-

cernentia objecta, hinc Diaetales Propositiones, Resolutiones et Intimata Regia promanant. Hinc Comitatus suos Supremos Comites et Administratores, Districtus suos Praesides, Civitates suos Commissarios obtinent. Per hanc Excelsam Cancellariam exercentur Jura Regalia Majora, et conferuntur Jura Regalia Minora, obtinentur omnia Grationalia, Donationes, Privilegia, Diplomata, Beneficia Ecclesiastica majora, Jura Patronatus, Denominationes et Promotiones ad Dignitates, Honores, Titulos, et Officia altiora et altissima. Hinc Palatinus, Custodes Coronae, Indigenae et Armalistae sua Diplomata, Civitates sua Privilegia obtinent. Cancellaria haec conservat Libros Regios, quibus a temporibus Ferdinandi I. omnia momentosa Acta, Decreta, Donationes etc. inseruntur; ducit praeterea Protocollum Sessionum suarum, cui omnia Decisa, Resolutiones, Rescripta, Intimata, inferuntur. Excelsa Cancellaria haec suprema sua Inspectione simul Jura et Praerogativas Coronae tuetur, invigilat Securitati Publicae, subalternis Dicasteriis et Jurisdictionibus, item cunctis Institutis, Fundationibus, Collegiis, Convictibus, Seminariis, Scholis etc. Supremae ejus Inspectioni subsunt Depensio Contributionis in Regno, Proventus Regni et Regis, Promotio Commercii, Fabricarum, etc. In hac Excelsa Cancellaria ad Regem formatae Relationes et Repraesentationes publicae Comitatuum et Civitatum etc. atque Instantiae et Recursus Privatorum quoque sub Titulo: „*Suae Majestati Sacratissimae*,“ — exhibentur, quae omnia Nomine Suae Majestatis ibidem assumuntur, pertractantur et deciduntur, *) atque competentibus Jurisdictionibus remittuntur. — 1542: 41. 1608: 9. 1622. 17. 1649: 45. 1647: 122. 1655: 78. 1715: 45: 1723: 70. Excelsa Cancellaria haec ab omnibus

aliis Dicasteriis Suae Majestatis independens est. 1741: 13.

*) Ea quae sub * de Status Cabinetto Capite VI. § 132, respectu Pertractationis ponderosiorum objectorum Juridicorum dicuntur, respectu momentosiorum objectorum Politicorum quoque valent.

§. 97.

Status Personalis Excelsae Cancellariae.

Excelsa Cancellaria Regia Hungarico-Aulica constat nunc Praeside, Aulae Regiae Cancellario, sive Cancellario Regio Hungarico Aulico, *) item duobus Pro-Cancellariis Hungarico Aulicis, demum duodecim Consiliariis et Referendariis Aulicis, quorum duo sunt ex Praelatorum, duo ex Magnatum, octo vero ex Nobilium Statu, habita quoad unum Referendarium reflexione etiam Regni Croatiae, 1765: 35. — demum pluribus Secretariis tam Actualibus, quam Honorariis, (interdum etiam Actualibus Supernumerariis) qui omnes, „*ex omnibus*, uti Lex habet 1741: 13. *Regni Partibus, et Possessionatis Hungaris*," — a Sua Majestate denominantur. Reliqua Individua infra Secretarios, nunc una cum 14 Agentibus Aulicis, numerum 140 constituentia, vel Sua Majestas, vel etiam ipsa Excelsa Cancellaria R. sibi nominat. Decreta et Diplomata Regia, per Suam Majestatem, Praesidem Cancellarium et unum Referendarium subscribuntur. Decisa et Intimata Excelsae Cancellariae, Nomine Suae Majestatis edita, per Praesidem Cancellarium, unum Referendarium, et unum Secretarium subscribi solent. — **)

*) Sensu et Combinatione 1486: 68. 1492: 42. item ex subscriptionibus Decretorum 1464, ac 1595 facile

perspici potest, quod antea Titulus *Summi* Cancellarii Regii, a Titulo *Secretarii* Cancellarii Regii, distinctus fuerit; quod item Summi Aulae Cancellarii Regii non semper Primates Regni fuerint; porro quod modernus Aulae Regiae Cancellarius, id est Praeses Excelsae Cancellariae Regiae, antea Titulum Aulae Regiae Secretarii Cancellarii (a Sigillo Secreto Regio, quo utebatur, ita compellatus) habuerit: quod Primates Regni Hungariae nunc utrumque hunc Titulum nempe *Summi* et *Secretarii* Cancellarii simul gerant, id quidem ex 1741: 10. ac in specie ex 1751: 3. patescit, sed cur uterque hic Titulus Primatibus datus sit, ex his articulis non patet.

**) Sensu Instructionum Regiarum de annis 1690. 1723. 1743. Individua Excelsae Cancellariae Regiae ex Taxis intrantibus solvuntur. Dum taxae, quae juxta peculiare systema per sic dictum officium Taxatoratus desumuntur, antea pro Depensione Salariorum non sufficerent, Defectus ex Proventibus Cameralibus suppletus fuit. Pro nunc omnes solutiones Salariorum Excelsa Camera praestat, verum taxas praedictas, quae nunc nimium adaucto Exhibitorum numero plus, quam Solutio Salariorum efficit, incassat.

§. 98.

II. *Excelsum Consilium Regium Locumtenentiale Hungaricum.*

Alterum Dirigens et Generale Dicasterium Politicum est: ***Excelsum Consilium Regium Locumtenentiale Hungaricum***, quod anno 1723: 97. erectum, et subsequa Instructione Regia de anno 1724. accuratius adhuc organisatum, ac per Imperatorem Josephum II. Posonio, Budam translatum e t.

Regium hoc Dicasterium, a nullo alio, sed unice a Sua Majestate dependet. 1723: 101. Totum Politicum Statum Regni regit, ac in specie securitati et prosperitati internae invigilat, etiam negotia militaria, in cointelligentia cum Armorum

Praefectura respectu transitus, dislocationis, et provisionis militiae, dirigit. — super incassatione contributionis rationes a respectivis Jurisdictionibus exigit, easque revidet, approbat vel reprobat. Idcirco Excelsum Consilium Regium etiam Contribuentium Protectorem agit, eorum Urbaliales Causas quoque, a Sedriis Comitatuum eo deductas, revidet, et, ut Urbarium ubique exacte observetur, superinspicit.

Subest praeterea Inspectioni et Directioni Excelsi Consilii R. Objectum Literarium, proinde promovet culturam nationalem, superinspicit Universitati scientiarum, Academiis, Gymnasiis et Universis Scholis et Institutis. Regit Censuram Librorum, curam habet Generalis Cassae Parochorum, Piarum Fundationum, Fundorumque Religionarii, Studiorum, Universitatis, Convictuum. Dirigit in genere rem externam religionariam tam Catholicorum, quam et Evangelicorum, horum etiam Causae et Quaestiones Ecclesiasticae saepe immediate vel mediate ad Excelsum Consilium R. deducuntur, et vel ibidem deciduntur, vel Suae Majestati fine altissimae Decisionis, cum voto et opinione representantur. — (Exceptis tamen Causis divortialibus, quae ex Sedria per ordinaria Regni Fora appellantur et deciduntur.)

Superinspicit praeterea Excelsum Consilium Regium in Hungaria promotioni et meliorationi universim oeconomiae, et Commercio, Publico Politicis objectis Comitatuum et Civitatum, omnibus Caehalibus Contuberniis et Opificiis. Eidem Commissa est 1723: 115. elaboratio Systematis Oeconomiae Regni Publicae. Pariter 1723: 18. et 103. Impopulationis in Regno promovendae cura. Eo pertinet Regulatio et Abrogatio Teloniorum siccorum, Inspectio reparationis Viarum pu-

blicarum, (quas, si viae Telonium sibi adnexum non habent, Comitatus ipse struere et reparare obligantur, 1599: 30.) cura mensurarum tam in liquidis quam aridis observandarum, 1655: 31. Si qui Privilegium Nundinale impetrare volunt, eatenus opinionem Excelsum Consilium Regium depromere solet. Denique Excelsum Consilium R. sibi creditam habet regulationem et directionem Rei Postalis, curam ducendorum necessariorum Canalium, regulandorum Fluviorum, — quo fine ab anno 1771. peculiaris Directio Hydraulico-Aedilis constituta, et Excelso Consilio Regio subordinata, existit, — item curam praecavendorum Incendiorum, Latrociniorum, Rapinarum, generatim curam promovendae internae securitatis et prosperitatis Reipublicae.

§. 99.

Departamenta Excelsi Consilii Regii.

Ut vero attacta innumera propemodum, ex universo Regno, ad hoc Excelsum Dirigens Dicasterium confluentia objecta rectius pertractari valeant, eadem objecta ad speciales categorias reducta, et sic dicta *Departamenta*, *) distributa sunt, utpote: *Ecclesiasticum*, *Religionarium*, *Contributionale*, *Commissariaticum*, *Publico-Politicum*, *Comitatuum*, *et Civitatum*, *Rei Sanitatis*, *Politiae*, *Pupillare*, *Fundationale*, *Saeculare*, *Postale*, *Litterarium*, *Commerciale*, *Oeconomiae-Publicae*, *Urbariale*, *Nobilitare.*

*) Quod attinet Departamentorum specialia agenda, nempe qualia, et quae objecta in singulo Departamento pertractentur, eatenus peculiares Instructiones Regiae existunt; Potissimum eadem juxta illam „*Nor-*

mam submittendorum Protocollorum," pertractantur, quam Josephus II. ddto 4tae Oct. 1785. ad Jurisdictiones dimisit.

§. 100.

Status Personalis Excelsi Consilii Regii.

Excelsum Consilium Regium constat," *Praeside Palatino, cum viginti duobus Consiliariis ex Statu Praelatorum, Magnatum et Nobilium ex omnibus Regni Partibus per Regiam Majestatem ex nunc et in futurum denominandis.*" — 1723: 97. in specie quoad Individua Regnorum Croatiae et Slavoniae id quoque statutum, „*ut tam in Gremio ejusdem Consilii, quam in Statu subalterno ex iisdem Regnis Individua in justa proportione applicentur, Domino praeterea eorumdem Regnorum Bano, dum ad illud comparere poterit, competens dignitati ejus sessio et votum assignetur.*" — Constat praeterea 15 Secretariis. 16 Concipistis, 10 Conceptualibus Practicantibus. Praeterea adsunt ad Excelsum Consilium R. plura subalterna Officia, in specie: Officium Protocolli, Regestraturae, Expeditoratus, Exactoratus. — Officium Regium Generalis Cassae Fundationalis Politicae Praefectoratus. — Officium Revisoratus Librorum; — Officium Supremi Comissariatus Provincialis. Ad est una Gremialis Consilii R. L. Hungarici Commissio Studiorum. — Causarum Politico - Fundationalium Regium Directoratus Officium. Adsunt praeterea quinque Jurati Agentes.

§. 101.

III. *Comitatus.*

Ad Jurisdictiones Politicas, et quidem ad antiquissimas, pertinent ultro, *Comitatus Regno-*

rum Hungariae, Slavoniae, et Croatiae. Comitatus olim etiam Parochiae vocabantur. Originem vero suam ab incunabulis Regni repetunt. Quivis Comes Castri, sive Arcis Regiae, — (qualis Arx in singula Provincia existebat) habuit suum Comitem Curiae Parochianae, et plures Bilochos, id est Judices, qui Comitem in agendis politicis, militaribus, et judicialibus adjuvarunt. Itaque ab hoc vetusto Instituto repetendum, quod et nunc singulus Comitatus suum *Supremum Comitem*, Regia Auctoritate constitutum, item suum *Magistratum Comitatensem*, sub Inspectione Supremi Comitis existentem, sed sibi libere electum, habeat. Nunc officia Supremorum Comitum, — quorum nonnulli etiam *Perpetui et Hereditarii* existunt, — saepe Sua Majestas per *Admistratores Comitatuum*, supplet. Ad Convocationem Supremi Comitis universa Nobilitas Comitatus saepius convenire, et Generales Congregationes celebrare solet, in quibus prae ceteris Publicationes Intimatorum, Resolutionum, ac Mandatorum Regiorum et Dicasterialium assumuntur, et effectuantur, demum alia Publico-Politica objecta, Correspondentiae cum aliis Jurisdictionibus, Intabulationes, Limitationes, Cassarum Revisiones, Officiosae Relationes, Privatorum Recursus et Instantiae, ac alia quam plurima, aguntur, et pertractantur. Hic etiam Restauratio Magistratus Comitatensis, omni triennio asservari solita (1723: 56. 1729: 15.) Electio Ablegatorum ad Comitia (1622: 29. 1729: 23.) mittendorum, eorumque Instructiones peraguntur et elaborantur. Singulum Comitatum Judicia, et Fora sua, item authenticum Sigillum, Archivumque habere, probe constat.

§. 102.

IV. *Civitates Liberae ac Regiae.*

Civitates Liberae ac Regiae, huc intellectis etiam *Montanis*, pro suis Civibus et Territorio suo, aeque Politicae Jurisdictiones sunt. Quaelibet Civitas habet suos *electos Cives*, Külső-Tanács, — atque *Magistratum Interiorem*, Belső-Tanács,— id est Consulem, Judicem, Capitaneum, et plures Senatores. In objectis momentosioribus Civitatem tangentibus, Magistratus Exterior quoque deliberat; de cetero Civitatis publica, politica, judicialia, et oeconomica Negotia, Magistratus Interior curat, et pertractat. Inspectio Suprema in Civitates aeque Suae Majestati competit, quae iisdem in Politica, medio Excelsi Consilii R., in Oeconomica vero, medio Excelsae Camerae R. inspicit, 1595: 38. Praeterea Civitates, suos Commissarios Regios quoque habere solent, sub quorum praesidio inprimis Magistratus sui Restaurationes praesuscipere solent. Civitates a Comitatibus independentes esse, patet ex Part. III. tt. 20. 1647: 78. Civitates Liberae Regiae habent suas peculiares Portas, et omnes simul sumtae, *quartum Statum Regni* constituunt, singillative vero sumtae, Praerogativa Nobilitari, et Jure Comitiorum, gaudent. Ulad. D. VII. 3. — 1608: 1. p. Cor.

§. 103.

V. *Districtus Jazygum et Cumanorum.*

Tres Districtus simul sumti, nempe *Jazygia, Cumania Major, atque Minor*, aeque unam

Politicam Jurisdictionem constituunt. Supremus Comes, sive Judex Jazygum et Cumanorum, est Regni Palatinus, qui politicorum quoque objectorum respectu, horum Districtuum summus Moderator est: 1715: 34. 1751: 25. — Habent praeterea Districtus hi suum Supremum Capitaneum Palatinalem, qui in his Districtibus Vicaria Potestate, Rem Politicam et simul Judiciariam administrat, atque cum Excelso Consilio Regio, aliisque Jurisdictionibus correspondet, altiores ordinationes exequi curat, sigillum publicum conservat, et sub eo expeditiones facit. Adest praeterea unus Vice-Capitaneus, qui priorem impeditum in ejus functionibus supplet. Coordinantur in genere Districtus hi ad Normam Comitatuum, quorum exemplo Congregationes publicorum negotiorum causa, celebrant. Districtus hiae que suis peculiaribus Portis gaudent, et per Reges more Liberarum Regiarumque Civitatum possidentur, qui simul sumtim Jure Comitiorum quoque gaudent. 1791: 29.

§. 104.

VI. *Districtus sex Oppidorum Hajdonicalium.*

Districtus sex Oppidorum Hajdonicalium aeque simul sumtim unam Jurisdictionem Politicam constituunt, quorum objecta Politica et Judiciaria generatim administrat: Supremus Capitaneus, qui etiam cum Dicasteriis et Jurisdictionibus aliis correspondet, securitati communi prospicit, Aerarium curat, Rationes exigit, Congregationes Generales indicit, et earum conclusa in effectum deducit. Adsunt praeterea unus Vice-Capitaneus et

complures Magistratuales Personae. Districtus hic aeque Jure Comitiorum gaudet: 1791 : 29.

Sex Oppida Hajdonicalia sunt: *Böszörmény*, *Nánás*, *Szoboszló*, *Dorog*, *Hatház et Vámospirts*, in Comitatu Szaboltsensi praeexistentia, quae per Principem Botskay peculiaribus Privilegiis, serius per plures Reges Hungariae quoque confirmatis, donata fuere.

§. 105.

VII. *Districtus XVI. Oppidorum Scepusiensium.*

Districtus XVI. Oppidorum Scepusiensium aeque unam Politicam Jurisdictionem constituit, cujus politica, juridica, et oeconomica agenda sub uno *Administratore*, item uno *Comite Provinciae*, sive *Grafio*, procurantur. Subordinatur Districtus hic in Politicis, Excelso Consilio Regio; in Oeconomicis vero, Excelsae Camerae Regiae. Districtus hic est etiam a Jurisdictione Comitatus exemtus, suas separatas Portas habet, sed Jure Comitiorum non gaudet.

§. 106.

B. Respectu Slavoniae et Croatiae.

Modus Objecta Politica tractandi.

Quod objecta politica, eorumque modum tractandi, in his Regnis attinet, eadem sicut in Hungaria, nempe per eorum Comitatus, Liberasque Civitates R. aguntur et tractantur. Etsi enim

Regnum Slavoniae et Croatiae antea suum peculiare Consilium Regium, Zagrabiae residens, per Augustam condam Reginam Mariam Theresiam erectum, habuerat, eodem Consilio, tamen sublato, — 1791: 58. — simul statutum est, ut Regna haec, ac respective Comitatus eorum porro quoque omnes politicas inviationes ab Excelso Consilio Regio H. accipiant; attamen, „*municipalibus eadem Regna in concreto respicientibus Negotiis porro quoque in Generalibus eorumdem Regnorum Congregationibus, quae cum praevio annutu Regio celebrandae veniunt, pertractandis.*“ —

§. 107.

C. Respectu Litoralis Hungarico-Maritimi.

Gubernium Regium Fluminense.

Litorale Hungarico-Maritimum sub omni publicae politicae Administrationis obtutu, Moderamini Regii Gubernii Fluminensis subest, quod Gubernium solito Dicasteriali more coordinatum, respectu nonnullorum objectorum gremialium, commercialium, et navigationalium, immediate ab Excelsa Cancellaria Regia Hung. Aulica, respectu nonnullorum vero ab Excelso Consilio Regio Hung., denique respectu objectorum, sphaeram oeconomicam concernentium, ab Excelsa Camera Regia Hung. dependet.

Status Personalis hujus Gubernii constat, *uno Gubernatore, tribus Assessoribus, et duobus Secretariis Gubernalibus.* Habet Gubernium hoc suum Officium Protocolli, Expediturae, et Cancellariam. Adsunt etiam Officia Sanitaria, Por-

tualia, Regium Tribunal Cambio Mercantile, et Consulatus Maris Forum primae Instantiae, item Forum Revisorium Causarum Mercantilium, Cambialium, et Consulatus Maris. Hic etiam nonnullarum Exterarum Potentiarum Consules, Vice-Consules, et Agentes constituuntur. Gubernatori Fluminensi in Comitiis Regni, in Tabula Procerum; Ablegatis autem Civitatum Fluminensis, Buccari, et Portus Regii, in Tabula Statuum et OO. competens votum et sessio tributa sunt. 1807: 4. 27. Quod Causas Transsavanarum et Maritimarum Partium attinet, videndus est: 1827: 14.

§. 108.

D. Respectu Confiniorum Hungaricorum.

Modus Politica Negotia tractandi.

Hungarica Confinia in genere tam ex politicis, quam militaribus, juridicis et oeconomicis obtutibus subsunt suis respectivis Armorum Praefecturis (Cap. V. §. 117.) Eadem Confinia universim juxta Regulamentum Militare tractantur, et respectu Glebae ac Tenutorum quoque eorum, juxta peculiare proprium Systema gubernantur. *) Praefecturae vero horum Confiniorum, Supremo Caesareo-Regio Consilio Aulae Bellico subordinantur.

*) De Systemate hoc, atque cetera de Confiniis statistice scitu digna et necessaria, multa elucubratus est saepe memoratus Schvartner, in sua Statistica Tomo II. §. 76. etc.

CAPUT V.

Complectens Jura Regis Reservata in Rebus Belli et Pacis.

§. 109.

Historica Consideratio Juris Belli, et Pacis.

Cum integritas, securitas, et salus Regni externa non alias, nisi Bello, et Pace procurari et conservari valeat, Jus Belli, et Pacis ad eminentissima Jura Regis pertinere facile patet.

Qualiter sub Ladislao Sancto et Ludovico I. qui plura bella gesserunt, ac subseque usque ad tempora Sigismundi cum Statibus et OO. Regni, de Bello, et Pace Reges consultaverint, ex Decretis Nostris non patet. Sub Sigismundo, D. V. 1. et pluribus Articulis, unice de Subsidiis fuit sermo. Sub Alberto R. Articulo 3. statutum fuit,“ „*ne Nobiles inviti extra Regnum more exercituantium educantur*.“ Sub Ladislao II Decreti ejus articulo 4. statutum erat, quod *Nobiles in Persona et per singula Capita in Bellum proficisci teneantur.* Onus et Officium defendendi Regni, et quidem, „*de suis proventibus*,“ ipsos Reges mansisse, patet ex Decreto Szilagyiano, 1458: 2. quo „*Regi et ejus Militiae Defensio Regni injungitur.*“ Mathiam Regem, Jus Belli et Pacis exercuisse, patet ex ejus Decreto IV: 1. 2. quibus eidem eo fine,“ *ut suorum Regnorum necessitati, libertati, restaurationi, ac defensioni providere valeat,*“ subsidium oblatum fuerat. Ex his, Jus Belli, et Pacis antiquitus apud Reges fuisse, quod et modo apud illos est, perspici potest, quamvis id etiam certum sit, quod si

respectu solius Hungariae, ejusque Partium, Bellum exoriri contingeret, et pacem, vel alios tractatus inire necesse foret, quod tunc etiam Natio exaudienda esset, quia jam sub Ferdinando I. 1546: 4. Status et OO. Regni eo provocarunt Regem; *„utsi in posterum cum Turca quoad pacem, vel Inducias, tractaret, eotum Consilio Ungarorum idoneorum uteretur.“* *) Serius vero 1608: 2. a. cor. statutum est: *„ne Sua Majestas sine praescitu Regni in Hungaria et Partibus ei adnexis bellum moveat, vel militem extraneum inducat.“* Demum 1715: 41. 1741: 11. generaliter statuitur: “ *quod Res, et Negotia Hungarica, tam extra, quam intra Regnum, per Hungaros tractabuntur.“*

*) Leges, quae de Regni Hungariae Legatis ad Portam Ottomanicam mittendis latae fuerunt 1655: 50. 1681: 4., jam exolevisse videntur, quibus articuli 17: 1790. 8. 1792. substituti sunt.

§. 110.

Jura Regis circa Legationes, Foedera, et alia.

Eminenti Pacis et Belli Juri Regis, juncta sunt Jura Legationum, item Foedera ac Tractatus necessarios, atque utiles ineundi, Fortalitia et Praesidia construendi et muniendi, de Armis, Munitione, Apparatu-bellico, et Victualibus militiae providendi; Confiniis et Limitibus Regni invigilandi, omniaque illa, quae Securitas et Defensio Regni svadent, instituendi et faciendi; ac denique illos, qui pacem quaqua ratione turbarent, severe puniendi. 1435. Praefatio 1622: 20. 1635: 11. 1538: 4. Part. I. tt. 14.

§. 111.

Jura Regis circa Insurrectionem, Tirones et Subsidia.

Periculo Patriae imminente, et necessitate secumferente, Sua Majestas, Vi attacti Juris Belli et Pacis, personalem Nobilium Insurrectionem, Tirones militares, et alia subsidia in Pecunia vel naturalibus, atque etiam Contributionem, „*quoties necessum esse judicaverit, ad conformitatem hactenus sancitarum superinde Legum, a modo in posterum quoque desiderare et exigere poterit*,“ 1435: 1. 2. 1715: 8. 1723: 6. 1741: 63. 1791: 66.

§. 112.

Stabilis Militia Hungarica.

Posteaquam 1715: 8. Necessitas stabilis Militiae et Exercitus agnita fuit, subseque ejusdem numerus, varia et incerta Ratione exstitit definitus. Demum 1802: 1. ejusdem Militiae numerus, „*Duodecim Legionum Pedestrium, Decem Equestrium in summa sexaginta quatuor millium Exercitus Hungarici oblatus*,“ habetur, *) cujus Exercitus Suppletatio vel per Conductiones, Collectacula, (Verbungok) fieri, vel eandem Suppletationem Sua Majestas a Statibus et OO: Regni diaetaliter desiderare solet: 1802: 1. 1805: 1. 2. 1807: 1. 2. 1808: 6. 1830: 7.

*) Nuuc in Schematismo Militari 12 Hungarica Regimina Equestria, et 17 Pedestria, una cum Transilvanicis, adnotata existunt.

§. 113.

Milites Confiniarii.

Stabili Militiae Hungaricae adnumerari possunt Milites Confiniarii. — Seculis nempe prioribus continuae Invasiones Turcarum, qui Hungariam sibi subjugare conabantur, necessariam reddiderunt Costodiam Confiniorum Hungaricorum, cujus custodiae causa Partes finitimae meridionales Croatiae, Slavoniae, Hungariae et Transilvanie, destinatae sunt, ac in eas Milites Confiniarii pro perpetuo illocati et inducti habentur. Hoc respectu, ut nempe Confiniis per Reges prospiciatur, eadem restaurentur et necessario Milite provideantur, etiam plures Leges latae existunt. **1595: 54. 1649; 2. 1662: 18. 1681: 62.** Recentissime vero **1807: 25.** ad Cofinium Banale nonnulla Loca reincorporata sunt. —

Militiae Confiniariae obligatio est, omnis generis praevaricationibus et invasionibus Turcicis invigilare, et Lineas Pestilentiales custodire. Militia haec constat nunc Octo Regiminibus Croaticis, quatuor Slavonicis, — (huc intellecto etiam Regimine Csajkistarum Militari Navali) — duobus Banaticis, quinque Transilvanicis, (huc intellecto etiam Huszaronum Regimine Confiniario)—

Militia Confiniaria gaudet Jure glebae, et aliis beneficiis quoque; idcirco singulus miles Confiniarius semet solus vestitu militari domestico providere debet, attamen ex Cassa Regiminis obtinet unum par ocrearum, (Bakants) atque ea, quae de Corio necessaria habet, item arma et munitionem. — Confiniarii respectu glebae et tenutorum suorum juxta peculiares systematisatos articulos gubernantur, de cetero vero juxta Regulamentum Militare tractantur. Singulum Regimen

habet suum supremum Colonellum (Commendantium) qui respectivis suis armorum Praefecturis subsunt, hae vero Supremo Caesareo-Regio Consilio Aulae Bellico subordinantur. Numerus Animarum, Confinia inhabitantium, circa unum millioném efficit, ex quibus viri, pro militia idonei, circa centum millia praesto esse possunt.

§. 114.

Intertentio Militiae Stabilis.

Pro Stipendiis et Intertentione Militiae Stabilis Hungaricae deservit Contributio, secundum leges de hac materia latas, et Parte I. § 22. jam uberius attactas, exigi solita: 1715: 8. 1791: 19. Naturalia vero Militiae suppeditantur certo pretio Regulamentali, de quo Cap. VIII. § 148 plura attingentur.

§. 115.

Laurea Virtutis Militaris.

Milites invictos, et meritis praecellentes, Sua Majestas, peculiaribus quoque Honoribus, Beneficiis et Ordinibus donare solet. *) In Hungaria fortitudo militaris, Laurea Virtutis pulcherrima, quippe Donatione, vel Nobilitate Hungarica, condecorari consvevit: Part. I. tt. 4. 18. 1790: 36. 1792: 15. Milites invalidos effectos, Sua Majestas Rude (Pensione) donare, iisque habitationem in Domibus Invalidorum, quarum pulcherrima Pestini existit, concedere solet; domibus Invalidorum plerumque adnexa sunt Nosocomia Militaria, in quibus vulnerati, et aegroti milites, per militares medicos, chirurgos et medicamenta, gratis curantur et sanantur.

*) Praecipuus Ordo militaris est: Ordo Theresianus, per Augustam Mariam Theresiam anno 1757 funda-

tus, qui tres Classes habet, et cum eo beneficia quoque juncta esse solent. Demum Elisabethiana Theresiana Militaris Fundatio, cum Stipendiali beneficio conjuncta. Inferioris gradus militibus saepe Crux, vel moneta Aurea et Argentea, aliaque insignia donantur, quae aeque saepe stipendia secum nexa habent.

§. 116.

Disciplina Militaris.

Disciplina, Leges, et Regulamenta Militaria, in Regiminibus Hungaricis eadem sunt, quae in reliquis Austriacis. Sua Majestas huic Militiae Duces, Regiminibus Proprietarios, Generales, et alios Officiales, a Superiore Vigiliarum Magistro sursum, (von Major aufwerts) sola denominat et praeficit. Militiam utriusque Generis, tam nempe stabilem, quam Insurrectionalem, Sua Majestas ad locum destinationis, et quidem illam medio suorum Ducum; hanc vero medio Palatini Regni, tamquam Supremi Generalis Capitanei Regni Hungariae, 1715: 21. deduci facit. Cessante periculo, ipsam quoque Insurrectionem cessare, sponte patet; non item militiam regularem, quae tempore pacis, ad securitatem domi conservandam, adhiberi solet.

§. 117.

Quatuor Supremae Armorum Praefecturae.

Res Militaris in genere subest Directioni, Supremi Aulici Consilii Bellici, Viennae residentis. Quod Hungariam attinet, Militaris Res in eadem et partibus ejus, per quatuor Supremas Armorum Praefecturas, (General-Commando) tractatur et gubernatur. Pro Hungaria operans Suprema Armorum Praefectura, *Budae*; altera pro

Banatu Temesiensi, ***Temesvarini***; tertia pro Slavonia, ***Petrovaradini***; quarta pro Regno Croatiae, sic dicta unita Banalis Varasdinensis Carolostadiensis Suprema Armorum Praefectura, ***Zagrabiae***, existit.

§. 118.

Supremus Comissariatus Provincialis.

Quod attinet Militiae dislocationem et provisionem, respectu naturalium et reliquarum obtingentiarum Militiae competentium, eadem in Hungaria commissa sunt sic dicto *Supremo Commissariatui Provinciali*, qui Excelso Consilio Regio H. subordinatur, et qui cointelligenter cum Commissariatu Bellico, item cum novem subalternis Districtualibus Commissariis, *) secundum certas Instructiones operatur, **1723. 100.** et simul Contributioni quoque in Regno praestandae, et Cassae Bellicae debite inferendae, intendit.

*) Novem Districtus Commissariatici sunt: Posoniensis, Neosoliensis, Soproniensis, Quinque-Ecclesiensis, Budensis, Cassoviensis, Debretzinensis, Temesiensis, Syrmiensis.

§. 119.

Judicia Militaria.

Excessus per personas militares patrati, item praetensiones ex diversis titulis successionum, debitorum, aliisque emergentes, et inter ipsos milites vel contra milites habitae, judicantur per Judicia Militaria, et quidem vel in Regiminibus per sic dicta, ***Judicia Legionum***, vel per concernentes ***Supremas Armorum Praefecturas***, cum quibus in Hungaria etiam, ***Judicia Militaria Delegata***, connexa sunt.

§. 120.

Regia Depositoria, Fabricae et alia.

Ultimatim Depositoria Regia, Magazina Militaria, et Fabricae Regiae, attingendae veniunt. Depositoria et Magazina deserviunt ad Conservationem provisionis, naturalium, armorum, munitionis, et diversorum fabricatorum militiae necessariorum. Fabricae vero fabricandis Apparatibus et Instrumentis Bellicis. ***Domus Armamentariae***, in quibus instrumenta bellica parantur, in Hungaria duae sunt, altera Budae, altera Temesvarini. Pulvis Pyrius, ad monopolium Regale pertinens, 1655: 73. in pluribus locis in Hungaria paratur. Sal nitri vero in multis locis libere coqui solitus, aere Regio, certo normali pretio coëmitur.

CAPUT VI.

Jura Regis Hungariae Reservata in Objectis Judiciariis.

§. 121.

Administratio Justitiae.

Securitatem et prosperitatem Civitatis internam Justitiae promta et recta Administratio, quam efficacissime promovet. Per eam enim procuratur securitas Personarum et Rerum, Conditio illa unica, quae Civitatem firmam, potentem, florentem, pacatam et beatam reddere potest, merito itque Justitia Regnorum Fundamentum appellatur. Sensu Prol. tt. I. § 3.

In patria nostra, in qua Potestas Legislativa Regi et Populo communis est, in materia Juris et Justitiae, inde a temporibus Proto-Regis, usque ad praesentia anni 183$\frac{2}{4}$ Comitia, satis multum cogitatum et actum esse, Decreta et Leges omnium Regum luculente perhibent. — Quod vero ipsa specialia Jura Regis Hungariae in Objectis Juris et Justitiae attinet, ea inprimis in sequentibus concentrantur: quod nempe Regi competat, ***Potestas Legum Executiva***, quod sit, ***Judex Regni Ordinarius***, denique, quod in non nullis sit, ***Judex Supremus Appellatorius.***

§. 122.

A.) *Regis Potestas Legum Executiva.*

Potestatem Executivam Legum comitialiter latarum Regi Hungariae competere, et delatam esse, in Parte I. allatis fundamentalibus Legibus, ac signanter ex **1790: 12.** patet, qui tenet: „***quod Executiva Potestas in Sensu Legum per Regiam Majestatem exercebitur.***“ — Nulla sublimior Idaea Majestatis Regiae concipi potest, quam dum Thronus ejus Splendore Justitiae fulgens, felicitati Populorum suorum intendit, dum ea, quae Legibus sancta et inviolabilia sunt, juste et simul efficaciter in effectum deducit. Sub efficaci Tutamine Justitiae eo certius Civitas efflorescit, quo certius delicta profligantur. Non optimae Leges, si in charta manent, non executiva potestas, si inefficax haeret, salutem subditis dabunt. Ast ipse metus efficacium Legum coërcet humanam audaciam, tutamque reddit inter improbos innocentiam. Prol. tit. 7, § 2.

Sua Majestas itaque, qua Supremus Legum Exequens, Tribunalibus, Jus et Justitiam admi-

nistrantibus, in Hungaria, Partibusque ejus, constitutis, ut in iis juxta Leges Patrias judicetur, invigilat, et inspicit. 1790: 12.

Quod vero, Tribunalia Justitiae in Hungaria, Partibusque ejus adnexis existentia, concernit, ea sunt vel *Communia*, vel *Specialia*. Illis obnoxiae sunt Personae et Res intra certam lege praescriptam sphaeram et certum territorium existentes, qualia sunt: Curia Regia; Tabulae Ragiae Districtuales, in respectivis Districtibus; Comitatus quivis intra suum ambitum; Civitates in suo Territorio; Sedes Dominales intra Limites Dominii. *Specialibus* per exceptionem subsunt solum certae classis personae, ac res, peculiari legum dispositione eatenus provisae, qualia sunt Fora, Tavernicale, Personalitium, Ecclesiastica, Montanistica etc: Hic unice Fora Communia attingenda veniunt, Specialibus ad Institutiones Juris Privati Hungarici spectantibus. — Vide Kelemen Libr. III. § 8. 20.

§. 123.

I. *Excelsa Tabula Septemviralis.*

Excelsa Tabula Septemviralis est supremum Regni Hungariae Tribunal, et Forum Commune. Judicat praecise Causas apellatas Civiles et Criminales, a Tabula Regia Judiciaria, et Sede Tavernicali, item Tabula Banali, eo deductas, 1807: 9. Praeses ejus est Palatinus Regni, eo vero absente, Judex Curiae Regiae. Septemviratus constat, praeter Praesidem, membris 20 nempe 4. Praelatis (excepto Primate Regni, qui hic aeque Sedem habet) 7 Magnatibus, et 9 Nobilibus Assessoribus. Adest praeterea unus Protocollista quoque, qui Causas relatas Protocollo praenotat. In-

dividua haec Sua Majestas, sine discrimine Religionis, nominat. **1723 : 24. 1741 : 24.**

Cum articulo 12: 1790. statutum sit, quod latae sententiae legitimorum Judiciorum nullo modo alterari valeant, hinc ab Sententiis Excelsi Septemviratus, nec Recursus ad Thronum Regium, nec Appellata locum habet. In Criminalibus tamen, sed dumtaxat in casu sententiae mortis, item in causis notae Infidelitatis convictis, Recursus ad Thronum Regalem, pro Gratia impetranda, patet, imo nunc de necesse fit, cum Jus aggratiandi, soli Regi competat. **1715: 48. 1791: 56.**

§. 124.

II. *Inclita Tabula Regia Judiciaria.*

Alterum Tribunal Justitiae Commune est, *Inclita Tabula Regia Judiciaria*, constans Praeside, Personalis Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenente, et 22 Assessoribus, utpote 2 Praelatis, 2 Tabulae Baronibus, 1 Vice-Palatino. 1 Vice-Judice Curiae, 4 Protonotariis. 8 Assessoribus Regiis. 2 Assessoribus Primatialibus, 1 Referente in Montanisticis. Praeterea Causarum Regalium Director quoque, ut Juribus Sacrae Coronae invigilet, ad Tabulam hanc assidet. Interest Sessionibus a latere unus Protocollista quoque, qui Causas levatas et revisas Protocollo Tabulae Regiae inserit. Membra hujus Tabulae pariter Sua Majestas denominat. **1723: 25.** Exceptis tamen Vice-Palatino, Vice-Judice Curiae, item quatuor Protonotariis et duobus Assessoribus Primatialibus, quos respectivi Principales nominant, et Sua Majestas confirmat. Tabula haec judicat, tam, qua Forum primae Instantiae, Causas, Legibus huc relegatas Civiles, et ex Nota Infidelitatis, ad Poenam

Perjurii, Infamiae, Silentii Perpetui, et Talionis, suscitatas, quam etiam qua Forum appellatorium Causas Civiles et Criminales, ex Partibus eo appellatas. 1723: 7. 26. 1729: 28. 29. 1791: 43. 56. 1807: 9.

Utraque Tabula, nempe Septemviralis et Regia, sub communi Nomine: Excelsae Curiae Regiae quoque veniunt. Sententionales hujus Curiae Regiae, Nomine Suae Majestatis, in Minori Cancellaria per Personalem Regium, sub Sigillo Judiciali Regio, expediuntur. Habet Curia Regia suum Archivum Curiale quoque, quo non tantum Causae coram Excelsa Curia terminatae, sed etiam cetera publica Acta, et Archiva tam Personalis Praesentiae Regiae, quam et duorum Magistrorum Protonotariorum, Palatinalis quippe, et Judicis Curiae Regiae, Sigilla habentium, (imo de more etiam acta processualia apud Advocatos Curiales demortuos adinventa) deponuntur et asservantur. 1807: 15. Pro custodiendo hoc Archivo adest unus Archivi Curialis Director et Conservator, et unus Vice-Archivarius. Adsunt praeterea unus Expeditor, et 4 Cancellistae. Pauperum vero Causas, tres Curiales Advocati Pauperum promovent.

§. 125.

III. *Inclita Tabula Banalis.*

In Partibus Regni Hungariae adnexis, Slavonia et Croatia, *Inclita Tabula Banalis*, ea auctoritate pollet, quali Inclita Tabula Regia Juridicaria in Hungaria. Praeses ejus est Banus Croatiae, vel eo absente, aut impedito, Officii Banalis Locumtenens, aut „*ejusdem Comitis Bani Vices-Gerens.*“ 1723: 27. Constat praeterea octo

Assessoribus, inter quos unus Protonotarius. Adest praeterea unus Protocollista, unus Archivarius, unus Expeditor, et unus Pauperum Advocatus. Causae ex hac Tabula, directe ad Excelsam Tabulam Septemviralem appellantur.

§. 126.

IV. *Inclitae Tabulae Regiae Districtuales.*

In Quatuor Districtibus Hungariae, totidem *Tabulae Regiae Judiciariae Districtuales* constitutae sunt, et quidem una pro Districtu Cis-Danubiano, *Tyrnaviae*; altera pro Districtu Trans-Danubiano, *Gynsii*; tertia pro Districtu Cis-Tibiscano, *Eperjesini*, quarta pro Districtu Trans-Tibiscano, *Debretzini*. Tabulae hae Causas 1715: 28. item 1723: 30. 31. 34. expressas, judicant. Constat vero singula Tabula, „*una cum Praesidibus, ex quinque Personis Nationalibus, in Regno bene Possessionatis, ac Juris Patrii exactam notitiam, aequalemque activitatem judicandi, habentibus*" *) uno Notario, ac Protocollista et Expeditore, atque peculiari Cancellaria. Adest etiam ad singulam Tabulam unus alterve Advocatus Pauperum.

*) In Schematismo Regni Hungariae nunc 6 Assessores Ordinarii, et plures Supernumerarii, atque Honorarii quoque adnotati habentur. Praeses et Assessores omnes per Regiam Majestatem denominantur, imo si Locum harum Tabularum immutare, et aliorsum transferre necesse esset, hanc quoque Translationem, sibi Sua Majestas reservavit: 1723: 31.

§. 127.

V. *I. Tabula Judic. Partium Adnexarum.*

Pro Partibus, Regno Hungariae adnexis, Slavonia et Croatia, est *Inclita Tabula Judiciaria*

constituta, eadem plane auctoritate gaudens, quali Tabulae Districtuales in Hungaria. — Habet unum Praesidem, quatuor Assessores et unum Notarium. 1723: 27. 1729: 31. — Adest unus Protocollista quoque, et unus Pauperum Advocatus, atque peculiaris Cancellaria.

§. 128.

VI. *Fora Comitatensia.*

Fora Comitatensia pro Gremio suo triplicem Judicatum exercere solent, quae sunt:

1.) ***Forum Comitatense Sedis Judiciariae, vulgo Sedriale***, quod ex Praeside, altérutro Vice-Comite, nonnullis Assessoribus Comitatensibus, uno Notario, et Legali Testimonio, coalescit, atque tam, qua Forum primae instantiae causas nonnullas, quam et qua Forum appellatorium causas a Vice-Comitibus, Judicibus Nobilium, et Sedibus Dominalibus eo deductas judicat et revidet.

2.) ***Forum Vice-Comitis, quod constat Vice-Comite***, cum ei adjuncto ***Judice Nobilium, et Jurassore.***

3.) ***Forum Judicis Nobilium***, cum suo Adjuncto Jurassore.

§. 129.

VII. *Forum Civicum.*

Liberae Regiaeque Civitates in Gremio suo aeque Jurisdictionem Communem constituunt, et Civium suorum tam personales, quam reales causas judicant. Cum vero nonnullae Civitatum Liberarum Regiarumquae sunt Montanae, nonnullae vero Tavernicales, vel Personalitiae, hinc pro

eo, vel ad *Judicium Septem Confoederatarum Civitatum Montanarum*, vel ad *Sedem Tavernicalem*, vel denique ad *Sedem Personalitium*, Causas suas appellant, — exceptis tamen Causis Criminalibus, quas in Via Appellatae directe ad I. Tabulam Regiam Judiciariam deducunt.

§. 130.

VIII. *Forum Sedis Dominalis.*

Singulus Dominus Terrestris, vel Jura ejus repraesentans, est simul Subditorum suorum primae Instantiae Judex. Forma vero Judicii, qua Domini Negotia et Causas suorum Subditorum assummere et decidere solent, ea est, ut Dominus Terrestris sub Praesidio suo, unum alium que in objectis Urbarialibus versatum Individuum, pro Assessore, praeterea unum Judicem Nobilium cum suo Jurassore, pro Legali Testimonio advocet, in quorum praesentia, qui omnes simul Sedem Dominalem constituunt, obvenientes Subditorum querimoniae et causae deciduntur. Appellatur vero a Sedibus Dominalibus, ad Sedrias Comitatuum.

§. 131.

B. *Rex Hungariae, qua Judex Regni Ordinarius.*

Rex Hungariae est simul primus, et supremus Judex Regni Ordinarius, Part. II. tt. 3. Officium Judicis Regni Ordinarii exercet Rex, vel medio sui Cancellarii Hungarico-Aulici, sive suae „*Majoris Cancellariae*; vel medio sui in Judiciis Locumte entis, sive *Minoris Cancellariae.*

Matth. D. VI: 68. quod has Regias Cancellarias attinet, videnda est:

§. 132.

I. *Cancellaria Regia Major.*

Cancellaria Regia Major, sive ***Excelsa Cancellaria Regia Hungarico-Aulica***, ad latus Suae Majestatis Viennae existens, non tantum in cuncta Regnum Hungariae concernentia Publico-Politica Negotia, (Cap. IV. § 96.) sed etiam Juridica Objecta, suprema cum Auctoritate influit, et eadem Nomine et ad Mandatum Regium moderatur, *) ac eatenus cum concernentibus Jurisdictionibus correspondet. Actus Judiciarii omnes coram eadem, sicuti coram Judicibus Regni Ordinariis, peragi possunt, imo nonnulla Mandata Judicialia, unice ex hac Cancellaria a Sua Majestate impetrari valent, qualia sunt: ***Mandatum Remoratorium***, ***Prorogatorium***, ***Suspensorium***, ***Interpraetatorium***, ***Statutorium cum Clausula: „Cum Nos attentis,"*** — ***Protectionale***, ***Captivatorium***, ***Salvi Conductus***, ***Extraseriale***, ***Delegatorium***, ***Brachiale***. — Gaudet Excelsa Cancellaria Fidedignitate Loci Authentici publici quoque, proinde coram eadem diversi authentici actus Judiciarii peragi, et celebrari possunt, sicuti: Perennales Fassiones, Testamentorum Solennisationes, Protestationes, item Plenipotentiarium et Procuratorum Constitutiones, ac alii.

Ceterum, ne ex eadem Cancellaria, sive Mandata, sive Resolutiones, vel Intimata, Legibus Regni, vel Juribus Regiis, contraria expediantur, plures Leges innuunt. 1543. 31. 1559: 9. 1563: 35. 1608: 10. Ut vero Cancellaria haec ab aliis quibusvis Dicasteriis Imperii independens sit, tenet 1715: 16. 1741: 13.

*) Hodierna vigente Praxi gravioris momenti Objecta etiam ad Status Cabinettum, cui Sua Majestas praesidet, et ubi nunc etiam duo Huugarici Status Consiliarii adsident, deduci possunt; atque hic decisa objecta, de positivo Jussu Regio, medio Excelsae Cancellariae Regiae Hungarico Aulicae intimantur.

§. 133.

II. *Cancellaria Regia Minor, et Personalis Regius.*

Cancellariam Regiam Minorem ad Latus suum habet, ***Personalis Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenens***, qui, qua talis, Inclitae Tabulae Regiae Judiciariae praesidet, et ut in eadem Justitia debito modo distribuatur, curae habet. Idem Personalis Regius, Sententionales Processuum, in Curia Regia, vel Tabula Regia, finitorum, Nomine Suae Majestatis sub Sigillo Regio Judiciciali expedit, coram quo et alii actus judiciales, velut coram aliis Judicibus Regni Ordinariis, peraguntur, ab eoque diversa Mandata judicialia impetrantur. Math. D. VI: 4. 68. Ulad. D. I: 42. VI: 4. Personalis Regius in Dieata Tabulae Statuum qnoque praesidet. Quoad Civitates Personalitias, ab ejus Dignitate ita vocatas, est Summus Judex Appellatorius Revisorius, et respectu earum activitate Judicis Regni Ordinarii pollet. Part. III. tt. 8. Constat vero Sedes Personalitia Praeside ipso Personali, et nonnullis per Personalem convocatis Assessoribus, atque uno Notario calamum ducente. — Personalis Regius, lege 1764: 5. nunc e Statu Nobilium per Suam Majestatem denominari solet.

§. 134.

C. *Rex Hungariae,, qva Supremus Judex Appellatorius.*

Sua Majestas est in nonnullis Processibus Privatorum, Supremus Judex Appellatorius. Inspecie:

1mo. In Processu Productionali, seu Nobilitatem Investigatorio. Sensu Part. I: tt. 3. item plurium Int. Reg.

2do. In Processibus Summariae Repositionis. 1807: 13.

3tio. In Processu Delegati Judicii. Delegandi enim Judicia, in casibus extraordinariis, Suae Majestati competit, et Appellata communiter a Delegato Judicio fit ad Delegantem. 1715: 17.

4to. In Causis Urbalialibus: 1792: 12.

5to. In Causis Ecclesiasticis ex Foro Appellatorio Graeci-Ritus Non-unitorum ad Thronum Suae Majestatis deductis, unde nempe Pars non contenta, ad Suam Majestatem appellare potest. Rescript. Reg. Declaratorium de anno 1779.

6to. In Causis Ecclesiasticis Evangelicorum utriusque Confessionis, quae Causae aeque prius in Conventibus Evangelicis decidi debent, et hinc ad Suam Majestatem appellari possunt. 1790: 26.

CAPUT VII.

Jura Regis Reservata circa Donationes, Nobilitatem, Privilegia et Grationalia.

§. 135.

Leges de his Objectis latae.

Regem Hungariae, de Patria et Rege benemeritis Civibus et Personis, Donationes Regias, Nobilitatem, aliaque Privilegia, reservato suo Jure Regio, post legitimam sui Coronationem, con-

ferre, vel per Antecessores ejus collata, confirmare posse, Eundem denique Regiam suam Gratiam, etiam Criminaliter delinquentibus et condemnatis, unice elargiri quire, patet ex Part. I: tt. 4. 108. II: tt. 9. 1715: 48. 1741: 4. 1790: 3. 32. Videnda sunt itaque,

§. 136.

I. *Jura Regis circa Donationes.*

Omnis Donatio Regia, hic intellecta, est Liberalis Collatio Juris Possessionarii, in Jurisdictionem et Potestatem Sacrae Coronae vel jam devoluti, vel saltem devoluturi civi vel personae alicui de Patria et Rege bene meritae, jure perpetuo ac privilegiali facta, et ut suum legalem vigorem, ac effectum habeat, legitima quoque Statutione firmata. Part. I. tt. 3. 4. Andr. D. art. 10. Ulad. D. I: 9. — 1608: 15. a. c. 1630: 30. 1659: 7. 1723: 103. 1741: 4. 19. Attingendum id quoque est, quod Donatione Regia, qua alicui Bona conferuntur, semper Nobilitatem quoque collatam esse, intelligatur, de cetero Nobilitas etiam sola, absque collatione Bonorum, conferri soleat.

§. 137.

Modi et Tituli, ex quibus Donationes Regiae conferuntur.

Donationes Regiae, quibus bene meritis Civibus Patriae Possessionaria Bona donantur, potissimum sequentibus modis et titulis conferuntur:

1mo. *Per Literas Donationales Regias, quibus ex titulo Defectus, vel Notae* Jus Possessionarium ad Fiscum Regium jure, et facto de-

volutum, bene merito Patriae Civi, jure perpetuo, et privilegialiter confertur. Part. I: tt. 13. 16. 22. 24. 26. 29. 30.

Integris Communitatibus, Civitatibus, Oppidis, Capitulis etc. Bona Possessionaria conferri non possunt. Ulad. D. III: 55. 1542: 33. 1647: 17. 1715: 16.

2do. ***Per Literas Regias Donationales***, ***ex Titulo Juris Regii***, datas; dum nempe Rex, Bonum aliquod Possessionarium de Jure simul et facto, adeoque evidenter ad Fiscum Regium devolutum, unice sub hoc Titulo Juris Regii, — non expresso videlicet titulo defectus, vel notae, — alicui bene merito Civi confert.

Quod non tantum ***Jus Regium evidens***, alicui per Regem conferri possit, sed quod etiam ***Jus Regium latens***, ceteris Titulis Donationalibus, notae, defectus, consensus Regii, adnecti soleat, et possit, patet ex Part. Imae tt: 24. 36. 63.

3tio. ***Per Literas Regias Consensuales***, quibus Sua Majestas perennalem translationem Juris Possessionarii, comparate ad Fiscum adhuc non liberae dispositionis, pro casu exstingvendi in Familia alienante Juris, ad aliquem a Familia illa extraneum fieri indulget, vel jam factam Translationem approbat.

4to. ***Per Literas Regias Novae Donationis***, quibus per Regem, non quidem novum Possessorium confertur, sed nonnisi praehabitum Possessorium fundamento antiqui usus, et pacifici Possessorii, consolidatur, et hoc Titulo semper Jus Regium latens quoque collatum intelligitur. Part. Imae tt. 37.

5to. ***Per Literas Regias Adoptionales***, quibus Rex Hungariae, dum ultimus deficiens Nobilis possessionatus personam aliquam, a Fa-

milia sua extraneam, bonorum suorum heredem adoptat, et instituit, tali Adoptioni et Institutioni Consensum suum Regium impertitur. Sensu Part. I. tt. 65.

6to. *Per Literas Regias Praefectionales*, dum Nobilis aliquis defectui proximus, Mulierem ex Familia sua, in bonis sexum masculinum concernentibus, in masculum heredem substituit et praeficit, ac eidem Praefectioni Sua Majestas Consensum Regium attribuit. Sensu, Part I. tt. 65.

Adnotandum hic venit, quod capacitate Donationes Regias obtinendi, vel impetrandi, tantum Cives indigeni, vel indigenatu donati, gaudeant. Extraneis vero nullo sub Titulo Bona Possessionaria conferri valeant. Andr. II: 26. Alb. 16. Ulad. D. III: 26. 1715: 23.

§. 138.

Statutio, et Homo Regius.

Singulus Donatarius, intra Tempus unius anni, Donationem suam *Statutione* firmare, id est, Donatarius semet in bona, sibi perennaliter collata, legitimo modo introduci curare debet. 1647: 25. Statutio haec peragi solet, per duas idoneas Personas, simul existentes et operantes, nempe *Hominem*, vel per ipsum Donantem Regem, vel per Judicem Regni Ordinarium, exmissum; item Capituli, aut Conventus Authentici, *Hominem*, per Capitulum vel Conventum exmissum. Ille, *Homo Regius*; hic vero *Homo Capitularis*, appellatur. In casibus donationis Palatinalis, *Homo Palatinalis*, peragit Statutionem. Cetera Juris Privati sunt.

§. 139.

II. *Jura Regis circa Nobilitatem.*

Nobilitas, sive ***Praerogativa Nobilitaris***, consistit in Collatione Regia Privilegii, alicui bene meritae Personae concessi, quo eadem ab omni rusticitatis servitute in perpetuum eximitur, et ad eminentiorem civilem statum evehitur, ac peculiaribus Praerogativis, Immunitatibus et Insignibus, donatur. Part. I: tt. 4. 9.

§. 140.

Modi, quibus Nobilitas confertur.

Nobilitas vero Hungarica sequentibus Modis confertur:

1mo. ***Per Literas Regias Armales***, quibus, sensu 1630: 30. bene meritae et sufficienter commendatae personae, absque Collatione Juris Possessionarii, Praerogativa Nobilitaris datur. Part. I. tt. 3. 4. Praerogativa Nobilitaris non tantum singularibus Personis, sed etiam interdum integris Corporibus, Collegiis, et Communitatibus in concreto confertur, talem adepti sunt Districtus Jazygum et Cumanorum, collective sumti; Sex oppida Hajdnnicalia aeque collective sumta. 1792: 29. Tali gaudent singulae Civitates Regiae, Nobiles de Szent Gál, Incolae Arcis Abbatiae Petrovaradinensis.

2do. ***Per Literas Regias Indigenatum*** conferentes, quibus nempe personae extraneae, de Rege, vel Regno Hungariae, bene meritae Jure et Praerogativis Nobilitatis Hungaricae donantur: 1550; 77. 1687: 26. 1715: 23. 1741: 45. Quod vero taliter recepti Indigenae sui inarticulationem etiam in Diaeta obtinere debeant, patet ex 1791: 69. 1830: 17.

3tio. Obantiquata, vel non-usu amissa Nobilitas, reaquiri potest *Processu Productionali*, in quo Sua Majestas, Supremus Judex Revisorius est, et si in Processu Probae non usque quaque adaequatae sint, Defectus tales per Suam Majestatem, Via Gratiae suppleri, vel condonari possunt.

§. 141.

III. *Jura Regis circa Privilegia.*

Privilegia, sensu strictiori sumta, quae aeque per Reges Hungariae conferri solent, Personas et Objecta multifaria respiciunt, et potissimum sequentia sunt:

1mo. *Privilegium Decimarum*, quo facultas confertur Clero Catholico decimam Partem rerum lege determinatarum, proprio vel arendatitio (1723: 61) nomine a Personis non exemtis, tempore et modo legitimo exigendi. S. Steph. L. I: C. 2. 52. — S. Lad. L. I: C. 1. 27. 30. 40. Part. II: tt. 9. 10. Math. R. D. V: 1. VI: 42. Ulad. D. III: 51. 1655: 89. Episcopi Dioecesani hoc Privilegio de Jure, legibusque antiquissimis, — caeteri vero non nisi penes specialia Privilegia obtenta, — utuntur.

2do. *Privilegium Nundinale*, quo facultas confertur certis Locis et temporibus publicos et solennes ementium et vendentium conventus celebrandi. Part. II. tt. 9. 10. Est vero Privilegium Nundinale duplex, vel nempe confertur eo facultas, „*Annuas*, vel saltem „*Hebdomadales Nundinas*“ celebrandi. —

3tio. *Privilegium Educilli*, quo Facultas datur, potus spirituosos juxta minutas legales mensuras vendendi: 1598: 35. 1649: 53. 89. 1655: 60.

4to. ***Privilegium Macelli***, quo facultas adipiscitur consvetas Carnes limitato Pretio, (sensu 1650 : 71.) juxta minuta Legalia pondera vendendi. Part. II : 9. 10. et usu, velut patet ex Dec. Cur. ad Subl. Benef. Cur. 4. 5. Privilegiis Educilli et Macelli, Impetrator in Corpore bonorum sibi collatorum, Vigore Donationis in genere utitur; Donatarius Curialista, vulgo Portionis, vero non nisi per Exceptionem, Virtute distincti Privilegii.

5to. ***Privilegium Telonii***, quo Facultas confertur, propter procuratum in necessariis ac utilibus viis commodum transitum, a currubus et jumentis itinerantium, lege non exemtorum, certam solutionem legitime exigendi Ulad. D. I: 87. 1563 : 59. 1566 : 12. 1715 : 15. 1723 : 15. 1765: 36.

6to. ***Privilegium Nauli***, quo Facultas conceditur, propter procuratum in fluviis commodum transitum, ab itinerantium currubus, vel personis, lege non exemtis, certam solutionem legitime exigendi. P. II: 9. 10. et aliae puncto 5to. provocatae Leges.

7mo. ***Privilegium Patronatus***, id est, Jus Regale privatis Personis collatum, facultatem continens, Clericum idoneum ad Beneficium Ecclesiasticum vacans, debito tempore nominandi, vel praesentandi, cum quibusdam praerogativis et emolumentis conjunctum. Part. I : tt. 11. 1723 : 55.

§. 142.

8. *Fidei Commissum.*

Peculiariter et continuative hic attingendum venit, quod Donationes Regiae, vel Consensus Regius, Fassioni, aut Testamento superinductus, simul vel distincim, Fidei Commissum, pro Familia aliqua petitum, conferre et continere possint: 1687 : 9. 1723 : 50. Itaque hoc sensu

Fidei Commissum est etiam *Privilegium*, quo ejus Acquisitori Facultas confertur, ut pro splendore familiae suae, in bonis suis acquisitis certam extraordinariam, et masculos respicientem successionem inducere possit. Est vero Extraordinaria haec successio in bonis fideicommissionalibus de more vigente duplex, vel nempe est

a.) *Successio Jure Majoratus*, dum bona fideicommissionalia, per linealem in Familia Primogenituram hereditantur. Vel est

b.) *Successio Jure Senioratus*, dum bona fideicommissionalia absque consideratione linearum, unice ad provectissimum aetate membrum Familiae transeunt.

§. 143.

Continuatio Privilegiorum.

9no. *Privilegium Jurisdictionis specialis*, id est, facultas, alicui tributa, certas Personas, earumque res et causas privilegialiter determinato modo judicandi, et decidendi. Privilegialis haec Jurisdictio, quae Communitatibus, Districtibus, Oppidis, Institutis, Personis, conferri solet, ob abusum etiam amitti potest: 1715: 48. Verbőczius Privilegia, Collegialibus Communitatibus collata, „*Generalia*“ singularibus Personis data vero, „*Specialia*“ appellat, Part. II: tt. 7.

10mo. Liberae Regiae Civitates, tam *Jus Civitatis*, quo obtento Peculium Regium evadunt, quam et reliqua sua Privilegia, (Telonii, Nauli, Strati, Stapulae etc.) aeque a Rege obtinent. Part. III. tt. 8. Sig. D. II: 15.

11mo. Quamvis Statuta Communitatum in Regula Consensum Regium non exposcant, si tamen pars aliqua sociorum Statuta condentium, conqueratur; vel si adversus vigentem usum quid-

piam statuatur: *eotum Consensu Regis, quo Statuta Communitatis ratihabentur, opus est.* Quod Statuta semper ita condenda veniant, ne Juribus Regiis, vel Legibus Patriis, imo nec Juribus privatorum derogetur, intelligitur ex Part. III: tt: 2. Math. D. III: 17.

12mo. Necessitate ex obtutu promovendarum Litium, vel domesticae oeconomiae administrandae, secum ferente, Rex Hungariae minorennibus personis legitimae, sed imperfectae aetatis, *veniam aetatis Perfectae*, conferre solet. *Consvetudo.*

13tio. Sua Majestas, tenore Part. I: 108. et 1715: 48. potest elargiri prolibus illegitimis, *Privilegium Legitimitatis*, quo nempe liberi ex thoro illegitimo nati, deleta natalium macula, *jura legitimorum cum effectu civili* consequuntur.

14to. *Jus, Tutores et Curatores, liberis, parentibus orbatis*, et quidem cujuscunque status et conditionis *dandi*, *per Eminentiam aeque ad Majestatem Regiam pertinet.* Part. I: tt. 115. 124. 1715: 68. 1765: 26. Ordinarie vero Jus Tutores et Curatores constituendi ad immediatas Jurisdictiones spectat.

15to. *Dispensationes in primo et secundo gradu in Rebus matrimonialibus Evangelicarum Personarum unice Sua Majestas Vi Juris Sui Suprematialis, sensu* 1791: 26. *dare potest.*

16to. Saepe Sua Majestas nonnullis Locis peculiaria Sigilla concedit Part. II: tt. 13. § 3. e. g. Sua Majestas Districtui CisTibiscano, Privilegio ddo. 14ae Mart. 1800 edito, peculiare Sigillum contulit. Universitas Scientiarum Pestiensis habet etiam suum Sigillum, Privilegio Fundationali Mariae Theresiae collatum.

18vo. Sua Majestas interdum eminentioribus familiis et viris tam civilibus quam ecclesiasticis, *Privilegia*, quibus iisdem *Titulus et Di-*

gnitas Hereditarii aut Perpetui Comitis conceduntur, confert: 1609: 23. Ulad. D. VI; 60. 1599: 48: 1741: 18.

19no. Tenore puncto praecedenti attactarum legum, Sua Majestas *Titulares* quoque *Dignitates* hereditarias: *Principum*, *Comitum et Baronum*, confert.

20mo. Similiter Sua Majestas omnia *Civilia*, *Militaria*, *et Ecclesiastica Officia et Honores Altiores*, *et Altissimos*, *tam Actuales*, *quam Titulares*, confert.

21mo. Concedit porro Sua Majestas diversis Artificibus, Opificibus et Coetibus, *Privilegia Czehalia* (Tribualia) quoque, quae adeo multifaria sunt, ut eadem specifice non facile exponi possint. Sufficiat hic attigisse, quod eorum collatio aeque ad Jura Regis Reservata pertinere dignoscatur. Sensu Part. II: tt. 9. 10. 11. 17. 1563: 35. 1567: 40. 1608: 9. a. c. 1715: 48. 1723: 74. 1741. 19. Saepe nonnullae Artes et Libertates saltem obtento Privilegio Regio, vel Indultu Altissimo, exerceri possunt. e. g. Ars Typographica, Libertas Novalia scribendi, Immunitas diversas fabricas, peculiaria Instituta, erigendi. etc.

22do. In Casu defectus legis, competit Suae Majestati Jus, *Judicia peculiaria delegandi*, *Interimales Resolutiones*, *Rescripta*, *et Intimata* elargiendi, Diversas Provisiones et Ordinationes constituendi. Sensu Part. II: tt. 9. 1715: 17. 1790: 3. 12.

§. 144.

IV. *Jura Regis circa Criminalia et Grationalia.*

Jura Regis Hungariae in objectis Criminalibus circa Privilegia et Gratias potissimum huc redeunt:

1mo. Sua Majestas interdum nonnullis Castris, Districtibus, Jurisdictionibus, Dominiis, Civitatibus, Institutis, Familiis, ***Privilegium Juris Gladii***, id est Facultatem Criminalis Jurisdictionis, conferre solet. Jus hoc ob abusum etiam amitti potest. 1563: 41. 1655: 38. 1715: 48.

2do. *Jus Statarium* elargiendi, quo Facultas Comitatibus vel aliis Jurisdictionibus, propter emergentia certa copiosiora criminalia delicta, contra reos, summaria Via procedendi, inquirendi et eos condemnandi, datur. — Ut videtur a temporibus Mathiae I. (Decr. VI: 1.) usuveniens; et Suae Majestati Jure eminenti competens; nunc a Palatino Regni, vel Excelso Consilio Regio Hung. quoque, impetrari potest. Rescript. Reg.

3tio. Potestas Reis ad mortem condemnatis, ***in parte vel toto gratiam***, sive poenae abolitionem, largiendi, juxta Sigism. D. II: 5. 1715: 48. in foris nostris Criminalibus (demto Militari) Suae Majestati competit.

4to. Casu exposcente, dum publice Delinquentium numerus magnus est, vel Rebelles hoc saltem medio ad pacem reduci queunt, Sua Majestas *Amnestiam* promulgare, id est, oblivionem delictorum patratorum impertiri solet. Talis Amnestiae exempla in Corpore Juris pluribus locis occurrunt: 1403. 1552: 19. 1606. 1622: 74. 1647: 5. 1681: 59. 1687: 5.

5to. In Patria nostra ***Jus Asyla constituendi***, aeque Majestati Regiae competere ex 1715: 48. deduci potest. Quamvis Diaeta 1723: 113. ac demum 1765: 27. elaborandos casus, in quibus perfugium ad Asyla locum habere possit, Excelso Consilio R. Hung. commisserit, et diaetaliter pertractandos sibi reservaverit. Quibus nunc com-

petat, et qui sunt a beneficio Asyli exclusi, tenet B. Int. ddo. 5ae Dec. 1776. editum.

6to. Attingi hic potest, cum Speciem Gratiae in se comprehendat, *Mandatum Salvi Conductus*, id est Mandatum Regium, quo incusato, vel Reo indulgetur, ut in Statu Libertatis semet defendere possit. Math. D. VI: 47. Ulad. D. I: 83. 1528: 3. 1723: 113.

CAPUT VIII.

Jura Regis Hungariae Reservata circa Objecta Cameralia et eorum Administrationem.

A. Objecta Cameralia.

Sectio I.

Complectens Jura Regis circa Bona et Proventus Regis et Regni.

§. 145.

Classes Proventuum Publicorum.

Cum singulus Status suas necessitates, emolumenta, et commoda habeat, eundem proventus quoque, quibus eaedem necessitates, emolumenta, et commoda tegantur et provideantur, habere necesse est. In Hungaria in necessitates, emolumenta et usus publicos Regni et Regis convertendi proventus, inprimis ad quatuor *Classes* redeunt. Adsunt nempe 1mo. *Bona et Proventus Coronales*, sive *Proventus Regis speciales*. 2do. *Proventus Camerales*, sive *Fisci Regii*. 3tio. *Proventus Regni Communes*, sive *Proven-*

tus Regis et simul Regni. 4to. *Proventus Regni Speciales, etiam Fundus Publicus Regni, compellati.* Jam quod in specie attinet.

§. 146.

1. *Bona, et Proventus Coronales.*

Bona, et Proventus Coronales, sive *Proventus Regis Speciales*, alias etiam, *Jura Regalia*, compellati, ab antiquissimis temporibus ad Personam Regis, ejusque Familiam, et Majestatem cum dignitate sustentandam, destinati sunt, et Bona Coronalia semel pro semper hoc fine collata, a Corona nulla ratione alienari, inscribi, aut conferri possunt. S. Steph. L. II. C. 6. Alb. R. D. 16. Ulad. D. VII: 1. 2. 3. 1715: 36. Bona itaque haec in Hungaria id, quod in aliis Regnis, sic dicta Lista Civilis, constituunt. Pertinent vero ad Bona et Proventus Coronales:

1mo. Omnes Liberae, Regiae, et Montanae Civitates, tam antiquae, quam recentiores. Ulad. D. VII: 3. Civitates hae ob id Peculium Regium nominantnr, quo titulo certam Contributionem et Hospitalitatem Regi, ejusque Officialibus praestant, et quoad suas Cassas Domesticas, atque internae Oeconomiae administrationem ab Excelsa Camera Regia Hung. A. dependent.

2do. Nonnulla Castra, Dominia et Possessiones, qualia sunt Vetus-Buda, Vissegradum, cum Insula Csepel, et Rozsó. Castrum Huszt, Diosgyőr, Zolyom. Ulad. D. VII: 3. (In Transilvania Civitas Kolosvár, Castrum Gőrge, Teres, Déva cum appertinentiis. Denique Vicesimae, Quinquagesimae, ac Centesimae in Transilvania exigi solitae.

3. Districtus Jazygum et Camanorum, atque Oppida Hajdonicalia. 1715. 34. 95. 1751 : 25.

4. Districtus Regio-Coronalis, Cis-Tibiscanus, qui in locum antea Regio-Coronalis Castri, et Dominii Munkáts, quod Rex Carolus III Comiti Ervino Schönborn pro fidelibus Servitiis contulit, substitutus est, 1791 : 7.

5. Metallifodinae cum antiquis appertinentiis, et certae urburae, $\frac{1}{10}$ — omnium metallifodinarum. Lud. I: 13. Math. VI: 49, Ulad. D. II: 30. VII: 3. 1609: 54. 1622: 46.

6. Omnes fodinae salium, tam in Hungaria, quam in Transylvania. Ulad. D. VII. 3.

7. Universi proventus Tricesimales. Ulad. D. VII: 1. 3. 10.

8. Saxones Regii in Transylvania. Ulad D. VII: 3.

9. Districtus Coronales XVI. oppidorum Scepusiensium.

§. 147

2. *Bona et Proventus Fisci Regii, sive Camerales.*

Bona et proventus Fisci Regii, sive Proventus Camerales, nullam lege determinatam destinationem habent, iidem tamen ad diversas necessitates et expensas Regias et Regni tegendas, converti solent, et per Regem, svadentibus id pluribus Regni legibus, cuique de Rege et Regno bene meritae personae, libere conferri possunt. *) Part. I: tt. 4. 10. 13. 1608: 15. 1630: 31. 1723: 103. Eadem bona cameralia jam sub Mathia Corvino, 1471 : 1. ad subsidia publica concurrebant, et ab illo tempore in oneribus publicis ferendis participant. 1563: 54. et 1741 : 63. 1807: 2. Proventus et bona haec per Excelsam

Cameram R. H. A. domestice administrantur, nonnulla tamen, etiam in Arendam locantur. Pertinent vero ad proventus et bona Fisci Regii:

1. Bona illa, quae ex Defectu seminis personarum nobilitaribus praerogativis pollentium, id est ex defectu earum haeredum, pro ratione acquisitionis, vel donationis, masculorum, vel utriusque sexus, ad Fiscum Regium devoluta sunt, et devolvuntur, juxta Part. I. tt. 10. qui dicit: *quod Princeps Noster universorum Dominorum Baronum et Magnatum, ac aliorum Regni Nobilium possessionatorum Hominum, in casu, quo quis eorum sine heredibus et posteris decesserit, verus et legitimus successor sit.*"

2. Bona illa, quae ex nota infidelitatis, vel crimine laesae Majestatis, ad Fiscum Regium devoluta sunt, et devolvuntur. Part. I. tt. 14. 1715: 7. 1723: 9. 1791: 56.

3. Bona illa, quae Jure armorum, victore Carolo III. a Turcis recuperata fuerunt, **) et prae manibus Fisci R. manserunt, ***) 1715: 10. 1723: 19. 1741: 21.

4. Proventus omnium ecclesiasticorum bonorum et beneficiorum durante vacantia, Fisco R. accresunt. Part. I. tt. 10. Jus hoc Regum etiam, *Jus Regaliarum*, appellatur.

5. Confiscatae res et merces in Regni Tricesimis et Teloniis. 1723: 13. 15.

6. Thesauri inventi una tertia cedit Fisco R. si summa 150 fl. superet. Resol. Reg

7. Successionalis Procentuatio, id est, siquis in ditionibus austriacis habitans, in Hungaria successionem adipiscatur, et successionem suam efferre cupiat, Fisco Regio 5. florenos a centum praestat; siquis vero in peregrinis Regnis habitet, Fisco Regio 10. florenos a centum solvit.

8. Nonnulli proventus ex certis Poenalitatibus provenientes, in specie: dum usurarius in amissione summae capitalis, ejusque census convincitur, hujus summae duae tertiae Fisco Regio, (una tertia denuntianti) cedunt: 1715: 51. Similiter, dum Civitates Regiae, quoscunque Nobiles vel Indigenas, ab Officiis civicis, propter religionem vel lingvam, aut a coëmtione fundorum civilium impediunt, eaedem in Mulcta 2000 florenorum, Fisco Regio cedente, convincuntur: 1608: 13. a. c. 1609: 44. Similiter dum lusores, lusum fortunae — Hazard — ludunt, iidem, atque domorum hospites, apud quos scienter lusum est, in poena 100 aureorum convincuntur, 1791: 31. qui hos 100 aureos „***in parte una fundo Jurisdictionis***, ***coram qua lis decisa est***, ***in altera vero fundo publico***, ***in tertia denique denuncianti***" applicandos statuit.

*) Ab his bonis distincta sunt, *bona patrimonialia, Holits et Sassin*, quae per Imperatorem Franciscum I. pecuniis acquisita, nunc per suam Majestatem privative possidentur.

**) Bona illa, quae modalitatibus Nris 1. 2. 3. attactis ad Fiscum Regium devenerunt, nunc jam perampla sunt, et imprimis sequentia: Regio Camerale Dominium Magno-Varadinense, Cameralis Districtus Lippensis Banaticus; Cam. Distr. Lugosiensis Banaticus; Cam. Distr. Bacsiensis Dominii Kúla; Cam. Distr. Bacsiensis Dominii Apathin: Camerale Dominium Arad-Mutinense; Cam. Distr. Temesiensis; Cam. Dominium Verschetz; Cam. Dominium Oraviczense, Cam. Dominium Hradek. et Liekava; Camerale Dominium Sóvár et Peklin; Cam. Dominium Ungvár; Cam. Dominium Sziget, seu Botzko, Cam. Dominium Huszt et Tisza-Ujlak: Bona Maritimo Cameralia. Item Montano Cameralia Dominia ad Montanos Districtus Schemicziensem, Szomolnokiensem, Nagy-Bányensem, et Montano-Banaticum pertinentia.

***) Anno 1715: 10. Commissio Neo-aquistica eo fine constituta fuit, ut possessores illi, qui in partibus a

Turcis recuperatis, condam bona possederunt, coram eadem Commissione jura sua comprobare tenerentur, quibus conprobatis, eisdem bona per prius possessa, ergá depensionem certae quottae, titulo sumtuum belli desumtae, restituta sunt. Commissio haec 1741: 21. sublata est.

§. 148.

3. *Proventus Regni Communes.*

Ad hos proventus, qui saepe nomine ***Aerarii Regii*** veniunt, sunt illi referendi, qui ad communes necessitates Regni et simul Regis tegendas, deserviunt, et quorum proventuum singulus suam legalem destinationem habet, ac vel propterea nec collationibus obnoxii esse possunt: sensu **1625**: **27**. 1638: **10**. Tales vero sunt:

1. Contributio in Regno Hungariae dependi solita, et pro intertenenda regulari militia hungarica destinata: **1715**: 8. **1791**: 19. **1827**: **4**. Plura de hac dicta sunt Part. Ima § **22**.

2. Adauctum pretium salis, cujus augmentum **1792**: **14**. per centenarium in **11** xris defixum „*ad peculiares fines*, — anno 1802: 3. vero „***ad tegendas praesentes status necessitates, pretium salis, salvo Altissimo Jure Regali, post singulum centenarium in 1 fl. et*** 6 ***xris***" adauctum, destinatum fuit.

3. Proventus Postarum, qui Excelsae Camerae Regiae Hungarico Aulicae affirmati sunt. **1791**: 22.

4. Taxa Tolerantialis a Judaeis per Capita desumi, et aeque ad publicas status necessitates converti solita. Haec quidem taxa adhuc diaetaliter regulata non est, sed Benignas Resolutiones R. eatenus ante **1790** editas, in suo vigore confirmat, **1791**: 38.

5. Solutiones nonnullae per Beneficia obtinentes Praelatos pro fortaliciis praestari solita. *Consvetudo.*

6. *Deperditae Regni*, quae quidem etsi non pro immediato, sed tamen mediato proventu Regni et Regis assumi possunt, quia eo, quod contribuentes, deperditas ex cassa domestica redintegrare debeant, tantum Aerario Regio accrescit, quantum iisdem cassis domesticis hoc titulo decrescit. *)

7. In casu extraordinario diaetaliter resoluta subsidia in Naturalibus vel aere parato.

*) Probe constat: Novum Regulamentum Militare sub Diaeta 1751 concinnatum, ac per Regnantem Mariam Theresiam approbatum extitisse, juxta quod nunc quoque pretia naturalium militiae in Regno stativanti, praestitorum, per Aerarium Regium reluuntur. Juxta illud Regulamentum e. g. reluitur una portio panis 2 pondo gravis 2 xris. — Portio avenae 6 ff. gravis 4xris. — Portio foeni 8 ff. gravis 2 xris, non habito respectu pretii forensis. Cum vero nostris temporibus pretia rerum majora sint, quam quae hoc in Regulamento defixa sunt, hinc enascuntur sicdictae deperditae Regni, quas Contribuentes cassae Comitatus domesticae redintegrare obligantur, et nunc circa 4 milliones fl. c. m. efficere possunt. Josephus II. titulo deperditarum semel pro semper 620,000 florenos in cassam sic dictam *concurrentialem*, inferendos, desideravit. Post mortem tamen ejus, cassa haec sublata, et prior modus, Intimato ddto. 11. Jan. 1791 edito, reductus est.

§. 149

4. *Proventus Regni Speciales.*

Ad Proventus Regni Speciales, qui alias *Fundus Publicus* audiunt, referuntur taxae, ab iis solutae, qui jura Indigenatus hungarici absque remissione taxae consequuntur. *) Taxa haec con-

stituit nunc pro secularibus personis 2000 aureos, pro ecclesiasticis majora beneficia obtinentibus 1000 aureos; pro minora beneficia tenentibus vero 200 aureos. 1687 : 26. 1741: 17. 41. 1791: 69. 70.

*) De fundo aliquo Regni Publico conflando jam 1723: 99, ac demum 1790: 21. fuit cogitatum, ac ut idea aliqua, *quomodo, et pro quibus specialibus finibus fundus ille conflandus sit?* elaboraretur, eo fine 1802: 30. Deputatio quoque exmissa fuit. Multi quoque Privati in hac materia opiniones suas vulgarunt, sed ad usque omnia in mero projecto manserunt.

Sectio II.

Jura Regis Reservata in Rebus Montanisticis.

§. 150.

Jura Specialia Regis in Rebus Montanisticis.

Quod Sua Majestas „*Legum Montanisticarum Reformationem nec non Judiciorum Montanorum Constitutionem et Coordinationem, communibus cum Dominis Statibus et OO. Consiliis determinatura sit; Oeconomica Rei Montanae Regulatione velut suo Regali per Regiam Suam Majestatem privato arbitrio suo reservata*,“ — patet ex 1791: 22. In sequelam hujus articuli demum eodem 1791: 67. exmissa in hoc objecto Deputatio, Codicem Legum Montanisticarum, 53 articulos comprehendentem, elaboravit quoque, sed cum idem Codex necdum publicus evadere potuerit, res sumenda venit, sicut est. Quum itaque Res Montana ab antiquissimis temporibus semper Jus Regium Majestaticum Reservatum constituerit, et respectu Oeconomicae, Politicae, atque Juridicae, exceptis Crimina-

litatibus, — Administrationis quoque Regibus subfuerit: hinc ex Decretis Nostris Regia Jura intuitu Rei Montanisticae praecipua, potissimum sequentia adnotanda veniunt:

1. Jus Mineras colendi, et habendi, item culturam minerarum conferendi et a minerarum cultoribus urburas percipiendi, *) atque omnia nobiliora metalla praeemendi, **) in regno Hungariae, Partibusque ejus adnexis, exclusivum Jus Regale esse, adeoque proventus montanisticos ad categoriam proventuum regiorum bonorum coronalium pertinere, patet ex Car. I. D. — Lud. I. D. art. 13. Sigism. D. II: 21. III: 13. Alb. D. art. 6. Math. D. VI: 49 Ulad. II: D. I: 30. VII: 1. Lud. II: D. art. 13. 14. Ferd. II: D. I: 46. 1574: 19.

2. Quod Rex habeat Jus in Regno Hungariae, Partibusque ejus, monetam in sensu legum cudendi, et falsarios monetarum Via Juris praescripta puniendi. Car. I. et Lud. I. D. item 1655: 80. 1659: 72. 1723: 9.

3. Quod Rex civibus bene meritis in rebus quoque montanisticis Privilegia conferre valeat, quare Immunitates et libertates, Civibus et Civitatibus montanis ***) collatae, semper in suo vigore conservandae sunt. Part. II: tt. 7. 8. 1519: 19. 1523: 39. 1536: 55. 1546: 13. 1715: 43. 1723: 65. 1790: 3. 25.

4. Quod Codex Maximilianeus, 1573. respectu Civitatum Montanarum editus, pro his Civitatibus instar legis valeat: 1723: 108.

5. Quod Rex habeat jus ubique in Regno et Partibus ejus, etiam in bonis et possessoriis privatorum, in quibus minerae reperiuntur, mineras colendi. Ulad. D. I: 31. Lud. II: D. art. 13. 14. In casu tamen illo, si dominus terrestris per culturam minerarum, suis agris, pratis, vel fundis privaretur, eidem indemnisatio praestatur. Sed

si Regi placet, potest bona, in quibus minerae reperiuntur, a dominis terrestribus excambiare vel emere. ****) Lud. D. I: 3. Sig. D. III: 13.

*) Urbura est generatim decima pars minerarum, eaque vetustissimum praestationis genus, quae jam Seculo XII et XIII Regi, tamquam specialis proventus, ex cultura metallica competens, a quibusvis metallicultoribus dependsa erat. Antiquitus urbura in crudis metallis dependebatur, nunc usu vigente, urburae partim in mineris praestantur, partim aere parato reluuntur.

**) Cultura minerarum semet in specie ad sequentia fossilia et mineras extendit, effoditur:

1. *Sal Culinaris*, qui reservato Jure Regio, excludendo omnes alios, eruitur, reperitur vero in Hungaria *lapidaris* in Comitatu Marmarosiensi, ubi annue circa 1,500,000. cent. eruuntur, — et *coctilis*, — in Comitatu Sárosiensi in Sóvár, ubi annue circa 120,000 cent. excoquuntur.

2. Urburae et praeemtioni regiae subsunt erutum et elutum (e Danubio, Marusio et Nera) aurum et argentum, quod per Officia regia cuso auro, et argento redimitur; Res. Reg. ddo. 11ae Apr. 1815. In Hungaria in circa 12 cent. auri et 450 cent. argenti, annue eruuntur. Praeterea urburae et praeemtioni regiae subest mercurius, cuprum, plumbum, cobaltum.

3. Soli urburae regiae subjacent, antimonium, ochra veneris, seu viride montanum, auripigmentum, cobaltum coloratum, sulphur, alumen, vitriolum.

4. Absque urbura eruitur ferrum. Licet sensu 1492: 80. urbura regia, et juxta Patentales ddo. 1781: editas, aeque hoc titulo 4 xri. a Centenario solvebantur, sed ab anno 1799. hac consvetudine reducta, a ferro nulla urbura praestatur.

Fundorum possessoribus relicta est efossio lithantracum, — penes Quinque-Ecclesias, Visegrad, et Sopronium reperibilium; item efossio opalorum, — qui in pago Vörös-Vágás in Comitatu Sárosiensi reperiuntur, et eorum efossio per Excelsam Cameram Regiam oxarendatur.

***) Nomine Civitatum Montanarum veniunt Schemniczium, Cremniczium. Neosolium, Baka-bánya, Béla-bánya, Libeth-bánya et Regio-Montum (Új-bánya). Ad has Civitates praecipue seculo XII. Saxones, fine colendae rei montanae evocati, et peculiaribus privilegiis donati fuere.

****) Esto quidem domini terrestres in propriis fundis mineras colant, tamen urburas Regi praestare tenentur. Quodsi vero domini terrestres ipsi mineras cultivare nolint, neque ab iis fundus, in quo minerae reperiuntur, excambietur, eotum domino fundi semper competunt in qualibet fodina duae *Kuxae* liberae, id est $\frac{2}{128}$ partes fodinae, per urburarium, ejusdem fundi gratis cultivandae. Si vero dominus etiam sufficientia ligna habeat, eadem pro cultura fodinarum, vel moderato pretio, vel erga duas *Kuxas*, sic dictas *ligneas*, cedere obligatur.

§. 151.

Quatuor Montana Officia Districtualia.

Cum praecedente paragrapho adductum sit, Regi Hungariae in rebus montanisticis politico oeconomicam administrationem competere, attingendum venit, quod eam Rex medio Excelsae Camerae Regiae Hungarico Aulicae exercere soleat: **1741: 14.** Hoc obtutu subserviunt Excelsae Camerae Regiae *quatuor montana Officia Districtualia*, utpote:

1. In Districtu montano Schemnicziensi est, ***Supremum Regium Cammergrafiatus Officium Hungariae Inferioris Schemnitziense***, quod constat Praeside, Supremo Cammergrafio, et undecim in re montana Consiliariis, inter hos una ad Academiam Regiam Montanam quinque Professoribus, item compluribus subalternis Officiis et Officialibus. *) Hunc Districtum 27. Comitatus constituunt.

2. In Districtu Montano Szomolnokiensi, est *Supremum Regium in Re Monetario-Montana Inspectoratus Officium Hungariae Superioris Szomolnokiense.* Constat Praeside, Supremo Inspectore, et septem Assessoribus, item nonnullis subalternis Officiis et Officialibus. Ad hunc Districtum octo Comitatus spectant.

3. In Districtu Montano Nagy-Bányensi est, *Supremum Regium Inspectoratus Officium Montano-Monetarium Nagy-Bányense.* Constat Supremo Inspectore, et sex Assessoribus, ac nonnullis subalternis Officiis et Officialibus Oeconomicis. Ad hunc Districtum septem Comitatus referuntur.

4. In Districtu Montano Banatico est *Regia Banatica Montana Directio Oraviczensis*, constans Supremo Directore, et sex membris, ac nonnullis subalternis Officiis et Officialibus. Ad hunc Districtum 9 Comitatus pertinent.

*) Montanistica haec Officia pro ratione objectorum, quae ad sphaeram montanisticam et culturam minerarum referuntur, in plura Departamenta quoque divisa sunt. Pertractantur nempe 1. *Objecta politica*, quae sunt *a) Stricte politica*, vel *b) Cameralia*. 2. *Objecta montano-Oeconomica*, quae sunt: *a) Montana*, quo referuntur fodinae, utrinae, et cusio monetae. *b) Georgica*, — quo stricte Oeconomica objecta referuntur. *c) Forestralia*, sive *Sylvanalia*.

§. 152.

Judicia Montana.

Potestas judiciaria in Montanisticis aeque Regi delata, 1659: 48. 1662: 23. 1723: 108. exercetur medio Montanorum Judiciorum Substitutorum, item medio Montanorum Judiciorum Districtualium. *) Quod attinet:

1. *Montana Judicia Substituta*, in Hungaria, partibusque ejus adnexis universim octodecim numerantur, quae Judiciis Districtualibus subsunt, et inprimis eo ab invicem differunt, quod Judicia Districtualia procedant definitive et decisive; Substituta vero tantum informative et instructive.

2. *Montana Judicia Districtualia* pro Regno Hungariae, partibusque ejus adnexis sunt quatuor, in quovis nempe Districtu unum, constans Praeside et nonnullis Assessoribus.

*) Quaenam causae, personae, et objecta judiciis montanis subsint, continetur in *Systemate Judiciorum Montanisticorum*, ddo. 10 Jan. 1789. *promulgato*.

§. 153.

Appellata a Judiciis Montanis.

Appellata a Judiciis Montanisticis Districtualibus, a temporibus Josephi II., fit ad Inclitam Tabulam Regiam Judiciariam, *) ad quam unus Consiliarius Regius Cameralis, qua Referens in Montanisticis, sedem habet. Ab I. Tabula Regia vero Appellata fit ad Excelsam Tabulam Septemviralem.

*) Anno 1741: 12. Status et OO. Regni a Judiciis Montanisticis Appellatam ad Sedem Tavericalem habere cupiverant.

§. 154.

Academia Montana Schemniczien sis.

Memorabilis est in Districtu Montano Schemniczien si: ***Regia Academia Montana Schemniczien sis***, per Augustam condam Reginam Mariam Theresiam anno 1760 fine eo fundata, ut in

eadem juventus Monarchiae Austriacae studiis et artibus, in sphaera culturae minerarum et metallorum necessariis, erudiatur. Academia haec per Josephum II. et Leopoldum II. ac inprimis per gloriosissime regnantem nostrum Regem, eximie dotata, novisque cathedris aucta est, adeo, ut inter prima Montanistico-Forestralia Instituta ubique locorum referri valeat. In hac Academia quinque ordinarii Professores, simul in re montana Actuales Consiliarii Regii, docent. Cursus Theoreticus tribus annis durat, cui tamen praxis quoque montanistica adnexa est. Adsunt in ea nonnulli per Suam Majestatem beneficiati quoque juvenes, (***Practicantes***) qui ob id, certis annis regio officio obstringuntur.

Sectio III.

Jura Regis Reservata respectu Salis.

§. 155.

Res Salinaris in Genere.

Salem in Hungaria praecipuum proventum regium Coronalem constituere, jam Parte I. § 22. adductum est. Cum vero productum hoc naturae ad praecipuas indigentias humanas pertineat, hinc de eo multum quoque diaetaliter actum et deliberatum est, et inprimis de ejus pretio multa statuta, quod ad diaetalem pertractationem, — ***nisi extremae circumstantiae aliud exigerent***, — 1790: 20. spectat. De reliquo tota salis manipulatio effossio, et transportatio, ad Jura Regia Reservata pertinet: 1729: 5. — Ut vero salibus non Judaei, vel Ismaëlitae, sed Christiani, iique Nobiles, praeficiantur, statuitur And. II. D. 1: 24. — qui possint sale maritimo et Polonico uti, jam aeque Parte I.

§ 22. attactum est. Cetera restant, ut attingatur: salium omnium supremam Inspectionem sibi creditam habere Excelsam Cameram Regiam Hung. A. In Partibus vero, sales per specialia officia Salinaria manipulantur, quae officia respectu efossionis salis lapidaris, Regio Camerali Administrationi Marmaticae; respectu salis cocti vero, Inspectoratui Sóváriensi, subsunt.

Respectu transpositionis, Inspectores salium existunt duo, alter in ***Districtu Debreczinensi***, alter in ***Districtu Pestiensi.*** Depositoria vero salium, ex quibus simul sales venundantur, in Hungaria, Partibusque ejus, in 78 locis reperiuntur, quibus potissimum praesunt unus Perceptor, unus Contraagens, et unus Ponderum Magister, in plurimis vero adest etiam unus Scriba, unus Ponderator, et unus Salium Vigil.

Sectio IV.

Jura Regis Reservata respectu Tricesimarum.

§. 156.

Res Tricesimalis in Genere.

Olim titulo Tricesimae ipsa pars tricesima mercium dabatur, Ulad. D. II: 17. hodie tricesima, nomine retento, pro diversitate qualitatis et quantitatis rei, item pro diversitate circumstantiarum rei ipsius, nempe ejus defectus vel abundantiae, solvitur. Idcirco,

Tricesima communiter definitur: *Jus Coronale, ratione mercium in, ex, vel trans, Regnum vectarum non prohibitarum, et huic oneri obnoxiarum, juxta earum qualitatem et quantitatem semel, locis determinatis, a per-*

sonis non exemtis, *certum vectigal legitime exigendi.*

Tricesimas Jus Coronale esse, jam supra Capite VIII. § 146 attactum est. *) Eaedem omnes per Excelsam Cameram Regiam H. A. administrantur, quae etiam Tricesimatores cum Altissima approbatione constituit, non tamen Judaeos, 1630: 15. 1715: 15. nec Extraneos, sed nobiles Hungaros possessionatos Ulad. D. III: 30. 1622: 24. 1625: 33. Excelsa Camera R. a Tricesimatoribus rationes exigit, qui obtutu negotiorum officiosorum, sicut etiam Mercatores alii, „*quoad merces prohibitas et contrabandas*" Jurisdictioni et Judicatui ejus subjecti sunt 1615: 15. 1723: 13. 51. Ut Tricesimae nonnisi semel praestentur, patet ex 1723: 13. Loca vero Tricesimalia expressa sunt in Ulad. D. III: 34. 1715: 91. Multum tamen loca haec jam ab iis, quae nunc in Schematismo Hungariae expressa sunt, differunt, quippe quod hoc articulo sublatio locorum Tricesimalium Suae Majestati relicta fuerat.

*) Proventus Regii ex hoc Jure Coronali juxta Schvartnerum pro mercibus invehi, evehi, ac transvehi solitis, intrantes, sive stylo Tricesimali loquendo,: *Consumo*, *Essito et Transito*, annue, detractis expensis, circa 1,011,613. fl. efficiunt.

§. 157.

Merces Prohibitae.

Quod attinet merces illas, quae in Regnum invehi, ex eo evehi, vel per id transvehi possunt, de eo videnda est peculiaris Tarifa Tricesimalis. Leges vero nostrae pro perpetuo vetuerunt sequentium objectorum eductionem: 1. auri et argenti nondum in monetam cusi. Sig. D. II: 15. III: 13. 1566: 10. 1622: 77. 1659: 72. —

2. Pulveris Pyrii. 3. Salis nitri. Posteriora producta haec Regi, si autem ille non egeat, vicinis Christianis gentibus, et non hostibus, vendi debent. 1613: 15. 1618: 55. 1622: 40. 1638: 66.

§. 158.

A Tricesimis exemti.

A Tricesimarum solutione exemti sunt 1. Nobiles cujusvis Ordinis, a rebus, quas pro suo domestico usu inducunt: Ulad. D. III: 35. 1635: 70, 1649: 46. 1681: 44. 1723: 14. vel si res suas domi procreatas, pro suis necessitatibus evehunt. 1559: 44. 1574: 25. 1596: 56. — 2. Civitates Liberae ac Regiae collective sumtae. 1559: 44. 3. Jazyges et Cumani, atque sex oppida Hajdonicalia aeque collective, eadem ex ratione, sumta. 1659: 61. — 4. Nobiles Praediales, aliique eatenus speciali Privilegio donati. Ulad. D. III: 35: 1557: 16. — 5 Coloni, dum res licitas dominorum suorum vehunt. 1553: 18. 1659: 61.

§. 159.

Tarifa Tricesimalis.

Quod Tarifam Tricesimalem attinet; posteaquam hoc in objecto exmissae Commissiones 1655: 100. 1659: 61. 1681: 43. item 1715: 91. nihil effectuassent, demum 1729: 2. idem objectum Excelso Consilio Regio, et Commissariis Cameralibus, elaborandum commissum fuit, et quia jam 1715: 15. constitutum erat, ut dum *„vectigal Regium“* elaboratum fuerit, illud per Regnum publicetur, effective quoque tale vectigal elaboratum, et ubique in Tricesimis introductum, habetur. Hoc vectigal, seu Tarifa, demum tam per Jo-

sephum II, quam et serius per plures Resolutiones Regias, multum mutatum exstitit.

Res Tricesimalis extra gremium Excelsae Camerae Regiae, versus diversas partes Regni collimitaneos, per Inspectoratus Tricesimales, item per officia Tricesimalia, in diversis Locis existentia, administratur. *Vide Schematismum Hung. Res Tricesimalis.*

Sectio V.

Jura Regis Reservata in Rebus Postarum.

§. 160.

Res Postalis in Genere.

Jura Regis Reservata circa Res Postales usu et legibus firmata sunt: 1715: 22. 1790: 22. De cetero Postae et earum Directio in Hungaria, Partibusque ejus, Excelso Consilio Regio, subsunt, verum respectu proventuum *) eatenusque consvete instituendi ratiocinii, Excelsae Camerae Regiae, subordinantur. 1790: 22.

Tota Hungaria nunc ad sex Districtus Postales divisa est, et singulus Districtus suum Postae Praefectoratus officium habet, est utpote 1. *Postae Praefectoratus Officii Districtus Budensis.* 2. *Posoniensis.* 3. *Cassoviensis.* 4. *Temesiensis, simul Cambiaturarum Districtus.* 5. *Varasdinensis.* 6. *Essekiensis, simul Cambiaturarum Districtus.* In singulo Districtu adest unus Praefectus, unus et saepe plures Postae Officiales et Practicantes. Singula vero Stationalis Posta (nunc sunt 382) suum Postae Magistrum habet. — Peragrat Hungariam unus Currus Diligentialis quoque, qui suas Stationes et Expedituras Posonii, Budae, Cassoviae, Temesvarini, et

Essékini habet. Praeterea unus Currus Properans (Gyorsszekér) inter Budam et Viennam ter de septimana currit, utpote diebus Domini, Mercurii, et Veneris. Ut vero ad officia Postalia Hungari, et quidem nobiles possessionati applicentur, statuit idem 1715: 22.

*) Proventus Postales juxta Schvartnerum circa 500000. fl. efficiunt. — Postae in Hungaria nonnisi seculo XVI introduci coeperunt. Ab anno 1624. Supremi Aulae et Generales Hereditarii Postarum Magistri, in Hungaria quoque Individua et respective Seniores Familiae Principis Paar, extiterunt, verum Familia haec 1722. Privilegio Supremae Aulae, et Generalis Hereditarii Postae Magistri, semet abdicavit, retento pro se unice Titulo, *Generalis Hereditarii Postae Magistri*, et annuis 66000 flnis.

B. Officia Cameralia.

Sectio I.

Complectens Jura Regis Reservata circa Administrationem Bonorum et Proventuum Regis et Regni.

§. 161.

Excelsa Camera Regia Hungarico-Aulica.

Ad Jura Regis Reservata in Rebus Cameralibus pertinent ultimatim ea, quae administrationem oeconomicam totius Civitatis concernunt. Supremum in Hungaria Dicasterium, in quo omnes Proventuum Regiorum et Regni administrationes concentrantur, est *Excelsa Camera Regia Hungarico-Aulica*, *Budae* residens, suum Praesidem, Vice-Praesidem, — qui semper e Statu saeculari eligendi veniunt, et Hungari sint, Ulad. D. I: 6. — atque 12. Consiliarios et 12. Secretarios ordinarios „e *Statu DD. Magnatum et Nobi-*

lium per Suam Majestatem eligendos“ habens. adsunt praeterea ad eam complura subalterna Officia et Individua.

§. 162.

Sphaera Activitatis Excelsae Camerae Regiae.

Excelsa Camera Regia ab aliis Dicasteriis independens est: 1608: 5. 1622: 18. et cum Imperiali Aulica Camera non nisi intuitu impetrandarum non nullarum Resolutionum Regiarum, in quibus Opinio Camerae Regiae Hungaricae necessaria est, correspondet: 1715: 8. 1741: 14. Instructiones suas a Regia Majestate obtinet, 1723: 16. Dirigit, et Auctoritate sua suprema administrari curat omnia Bona Coronalia et Cameralia sive Fiscalia, intuitu quorum per Sacrae Coronae Regni Hungariae Fiscalem, nempe Causarum Regalium Directorem, active et passive, velut ceteri Regnicolae, litigare et Juri-stare tenetur: 1598: 39. 1659: 40. Excelsa Camera Regia eo, quod Civitates Liberae ac Regiae Peculium Regium constituant, earum manipulationibus Oeconomicis superinspicit, et ab iis Rationes deposcit. Eadem ad Collationes Bonorum a Sua Majestate impetrandorum, inprimis respectu eorum valoris et aestimationis influit, non item ad collationes Novarum Donationum, quae absque influxu Camerali obtineri possunt. 1741: 19. — Rei Montanisticae et Salis, ac Tricesimarum, atque totius Proventus Regis etRegni Inspectio et Administratratio, aeque Excelsam Cameram Regiam respiciunt: 1741: 14. 1790: 22. 1792: 8. 14.

§. 163.

Judicatus Excelsae Camerae Regiae.

Judicatus Excelsae Camerae Regiae *„quoad solas Merces prohibitas item contrabandas et Casus, tamquam in Articulo* 17: 1609. *expressos, secundum Commissionalem anni* 1659: 61. *Decisionem, in suo continuo usu relinquitur* 1715: 15. 1723: 13." — Dum quis nempe per Tricesimas merces prohibitas vehit, talis praevaricator ad interpositam et probis fulcitam querelam Tricesimatoris, coram Judicatu Excelsae Camerae Regiae, in amissione suarum mercium convincitur 1609: 17.

§. 164.

Departamenta Excelsae Camerae Regiae.

Respectu pertractationis multiplicium Objectorum suorum, Excelsa Camera Regia quoque in peculiaria Departamenta divisa est, quae sunt 1. *Montanisticum.* 2. *Banaticum.* 3. *Cassale.* 4. *Oeconomica tria.* 5. *Salinare.* 6. *Fiscale.* 7. *Postale.* 8. *Scepusiense.* 9. *Serici culturae.* 10. *Fluminense.* 11. *Montano Civitatense.* 12. *Juridico Ecclesiasticum.* 13. *Oeconomicum Fiscale.* 14. *Bonorum Collationale.* 15. *Tricesimale.* 16. *Gremiale.* 17. *Civitatense.*

§. 165.

Officia Subalterna ad Excelsam Cameram Regiam.

Adsunt praeterea ad Excelsam Cameram R. plura officia subalterna quoque, quae hic vel ideo memoranda sunt, quod ex iis per ampla sphae-

ra activitatis Excelsae Camerae R. adhuc uberius perspici possit. Sunt vero haec Officia, *Rationarium*; Officium in *Aedilibus*; Officium *Archivi Regio Cameralis*; Officium *Regestraturae*, *Protocolli*, *Exhibitorum*, *Expeditoratus*, *Taxatoratus*; Officium *Causarum Regalium Directoratus*, cui Fiscales Regii Directorales et Camerales quoque subordinantur. Adest praeterea *Suprema Directio Aedilis Incliti Regni Hungariae Partiumque adnexarum*, ad quam *Departamentum Navigationis* quoque spectat. Huic Directioni Hydraulico Aedili, alii quoque Dirigentes et Adjuncti Geometrae, atque Architecti, extra Gremium in Regiis Cameralibus Administrationibus, et R. Gubernio Fluminensi, nec non in respectivis Districtibus, Comitatibus, ac Liberis Regiisque Civitatibus, constituti, subordinantur. Adest praeterea ad Excelsam Cameram R. *Officium Rei Sylvanalis*; Officia *Schaedarum Reluitionalium*, quale etiam Cassoviae et Temesvarini existit. Adsunt etiam ad Excelsam Cameram R. *tres Jurati Agentes*.

Sectio II.

§. 166.

Administrationes et Praefectoratus Regio Coronales et Camerales.

Proventus et Bona Regni et Regis, extra Gremium Excelsae Camerae Regiae, inprimis per eidem subordinata Officia percipiuntur et administrantur, qualia sunt:

1. *Regio Cameralis Administratio Temesiensis*, habens suum Administratorem, quinque Assessores, atque plura subalterna Officia. Inspicit et curat suos respectivos *Camerales Di-*

strictus, *Provisoratus*, ***Rationistatus***, item complura *Sylvanalia Officia.*

2. *Regio Cameralis Administratio Marmatica*, habens suum Administratorem, et quinque Assessores, atque plura subalterna Officia, et inter haec inprimis Salis Fodinalia, ejusque Transportualia.

3. *Administratio Regio Coronalium XVI. Oppidorum Provincia*, quae constat ex uno *Administratore in Cameralibus et Publico Politicis* constituto, item uno *Magistratu Districtuali*, ad quem referuntur *unus Grafius*, seu ***Regio** Coronalium et Privilegiatorum XVI. Oppidorum Provinciae Scepusiensis Comes*, item *tres Assessores Provinciales*, et duo *Notarii Provinciales*, ac complura subalterna Officia et Individua.

4. ***Regio** Cameralis Administratoratus Cassoviensis* — constans uno Administratore et uno Actuario.

5. *Regio Cameralis Administratoratus Zagrabiensis*, constans uno Administratore,

6. *Supremum Inspestoratus Officium Sóváriense*, *constans Inspectore*, et aliis pluribus Individuis subalternis.

7. *Praefectoratus plures*, uti est: ***Regio** Coronalis Vetero-Budensis et Vissegradiensis.* — Dominiorum *Arad*, *et Mutina.* — Dominii *Hradek*, *et Liekava.* — *Dirigens Fiscalatus Cameralis Magno-Varadinensis.*

PARS III.

Complectens Jura Fisci Regii in Hungaria.

§. 167.

Jura, et Origo Fisci Regii generatim considerata.

Jura Fisci Regii proprie Jura Regis Hungariae, latissimo sensu considerata, tam nempe ex Juribus Regis Comitialibus, quam et Juribus Regis Reservatis, profluentia esse, nemo ambiget. Cum interim more nostro, Fiscum Regium, ejusque sphaeram activitatis, a ceteris Juribus et Praerogativis regiis, peculialiter distingvere soleamus: ea itaque cuncta, quae ad hanc peculiarem sphaeram, et Jura Fisci Regii referri possunt, Parte hac exponere proposui.

Origo Fisci Regii ab Incunabulis Regni, signanter vero a temporibus S. Stephani, repetenda venit, ubi Decr. Libr. II. Cap. 6. 35. dicitur, „*ut ea quae ad Dignitatem Regiam pertinent, intacta relinquantur, et bona fugientium in Potestatem Regiam deveniant.*" Idem patet ex S. Lad. L. II. c. 1. Colom. L. I. c. 78. 79.

§. 168.

Fiscus Regius, ejusque Officii Sphaera.

Ex eo, quod Regis Hungariae persona inviolabilis et sacra sit, ac proinde ea nequaquam litibus implicari possit, constituitur per Suam Ma-

jestatem, *Causarum Regalium Director*, alias etiam *Fiscus Regius* *) compellatus, ad cujus eximii Officii sphaeram potissimum sequentia pertinent:

I. Personam Regiam laedentes, vel aggredientes, sive crimen laesae Majestatis committentes, comprehendi curare, et lite convenire.

II. Casus notae Infidelitatis, lege expressos, actione sua persequi.

III. Excessus publicos, et Reipublicae perniciosos, vindicare.

IV. Bona Coronae et Regis tueri.

V. Successionibus Fisci Regii invigilare.

VI. Acta et facta sua legibus patriis conformare, et hinc promanantibus obligationibus satis facere.

VII. Causas pro et contra Fiscum R. motas, cum Fiscalibus sibi adlateratis, promovere, defendere, et favorabiliter decidi curare.

VIII. Cointelligentiam cum Excelsa Camera Regia Hung. fovere.

IX. Nonnulla Postulata Diaetae proponere. Jam quod haec Jura generaliter praenotata, attinet, cum eadem speciales Partes suas, et leges publicas pro se latas, habeant, juvabit eadem singillatim et specialiter quoque elucubrare. Quod itaque attinet.

*) Sub Nomine Fisci Regii saepe non tantum persona: quae jura regia defendit, et repraesentat, sed etiam *pecunia publica;* saepe *locus ille*, *ubi aes et gaza regia* conservatur, saepe ipsa *Camera Regia*, intelligitur. Kitonits Cap. I. quest. 4.

§. 169.

I. *Specialia Jura Fisci circa Personam Reg.*

Dum quispiam, cujuscunque status et conditionis ille sit, personalem laesionem Majestatis

Regiae, aut perniciem patriae intendit, atque seditiones cum perturbatione publica excitat, vel saltem haec per suam conniventiam fovet, *Crimen Laesae Majestatis*, sive *Crimen Perduellionis*, committit. Laeditur vero regia persona, violenta in eam manuum injectione, ejus captivatione, aut ad domum, in qua commoratur, violenta invasione: Part. I. tt. 14. — Laeditur item conspiratione adversus Regem intentata, vel consensu etiam conspirationi praebito. S. Steph. L. II: c. 6. 1715: 7. Pernicies prtriae infertur, dum eam quis hostibus prodit, vel ejus constitutionem evertit. Seditiones vero cum perturbatione publica excitat ille, qui arma vel militem contra legitimum Principem, vel Patriam, colligit, vel etiam foedus cum externis hostibus init.

Fiscus Regius vi officii sui quemcunque, de Crimine Laesae Majestatis accusatum, vel etiam graviter suspectum, statim incaptivari curat, ac demum ex vinculis citat. Nomen delatoris, Fiscus Regius requisitus pandere, imo, ut nonnulli (Kövy) praetendunt, etiam actioni inserere obligatur. Bona Perduellionis statim confiscantur, et usque exitum litis in sequestro, sub onere rationum reddendarum, conservantur. 1715: 7. Causae Judex antea Palatinus vel Rex fuit, nunc Inc. Tabula Regia Judiciaria est, salva Appellata ad Exc. Tabulam Septemviralem; et Recursu pro gratia ad thronum regium. Part. I: 20. 1790: 56. Convictus de crimine amittit caput, item universa bona, ad ratam delinquentis, cedentia. 1790: 56.

Circa enorme crimen isthoc illud adhuc notatu dignum occurrit, quod in hoc ipsa etiam prava intentio, etiam si effectu destituatur, legali poena afficiatur. Quod penes gratiam vitae et bonorum impetrantem, filum successionis rumpatur, id est, liberi ante commissum crimen nati, sensu 1715:

7. 1791: 56. cum illis, qui post impetratam gratiam progenerantur, mutua successione careant.

§. 170.

II. *Jura Fisci Regii circa Casus Notae Infidelitatis.*

Nota Infidelitatis est aeque delictum contra Principem et Regnum commissum, ast paulo mitius, quam Crimen Laesae Majestatis. Casus Notae Infidelitatis Part. Iae. tt. 14. IIae. tt. 16. Math. R. D. I: 2. descripti, nunc ad novem redeunt, et articulo 9: 1723. sequentes exponuntur:

1. „*Evidenter semet erigentes et opponentes contra Statum Publicum Sacrae Coronae, Regiae Majestatis, et Regni.*"

2. „*Judices, Locaque credibilia, et Fidedignitates authenticis Sigillis ex Officio fungentes, et taliter falsas Literas conficientes.*"

3. „*Cusores Falsarum Monetarum, vel ejusmodi Monetis scienter ac publice, in quantitate circiter 50. fl. utentes.*

4. „*Inductores et Conductores quorumcumque Hominum ad spoliandum et disturbandum internum Regni statum,*"

5. „*Publici haeretici, damnatae scilicet haeresi adherentes,*" — id est Religiones, quae lege tenus receptae non sunt, sequentes."

6. „*Malitiosi Amissores et Traditores Castrorum finitimorum Regni, et Partium eidem adnexarum.*"

7. „*Administratores Armorum, et tempore Belli, etiam Victualium, Turcis, et aliis Infidelibus, Regni scilicet hujus Aemulis et hostibus.*" —

8. *„Turbatores item, Detentores, ac spoliatores illorum, qui Sectae eorum damnatae renunciates, ex Turcia ad isiud Regnum et Partes eidem adnexas confugiunt, moraturi.“* —

9. *„Tricesimatores, et alii, in diminutionem Regiorum proventuum in extrahendo auro et argento conflato, cum forensibus societatem ineuntes, ejusmodique aurum, et argentum e Regno clam efferentes.“*

Fiscus Regius in his lege expressis casibus, de delicto Notae Infidilitatis accusatos vel graviter suspectos, ad Inc. Tabulam Regiam Judiciariam citat, et si metus profugii subversetur, vel vero delinquens praeter domicilium vix aliquod bonum habeat, sensu 1687: 14. et 1715: 7. etiam praevie incaptivari curat. Convictus Appellatam ad Exc. Tabulam Septemviralem, et Recursum ad Thronum Altissimum, pro Gratia impetranda, salvum habet. Bona in Nota Infidelitatis conventi delinquentis, praevie sequestrantur, et in ea convicti, ad portionem ei cedentem, exequuntur, atque Fisco Regio addicuntur. 1790: 56.

§. 171.

III. *Jura Fisci Regii circa Excessus Publicos.*

Lege expressos Excessus noxios, et delicta majora publica, Fiscus Regius, vi officii sui, securitatis publicae causa, potissimum sequentia vindicat:

1. Si qui contra Jurisdictionem Sacrae Coronae, et contra Principem Nostrum pejerant, tales perjuros Fiscus Regius coram Inc. Tabula Regia J. in amissione bonorum, et in poena condigna, convinci petit. Part. II. tt. 30.

2. Contra eos, qui obtentis privilegiis, vel officiis publicis abutuntur, inprimis autem contra Jure Gladii abutentes, ad amissionem privilegii et officiorum, coram Inc. Tabula Regia J. procedit. Part. II: 12. 1715: 48.

3. Si qui usuram exerceant, id est, a mutuo datis pecuniis suis illegalia, ultra 6 pctum facientia interusuria, sive in pecunia, sive aliis modis desumant, vel sibi majores, quam mutuarunt, summas inscribi curent, eos Fiscus Regius eorum competente, pro ratione summae, judice, ad amissionem summae capitalis, ejusque census, ac praeterea ad poenam, seu pecuniariam, sive aresti subeundam, convenit. Amissae taliter summae, duae tertiae Fisco Regio, una tertia cuicunque denuncianti cedunt. 1715: 51. 1723: 120. 1802: 21

4. Contra Civitates Liberas Regias, et Montanas, aliasque Communitates, quae Nobiles et Indigenas a comparandis debito modo Fundis civilibus impediunt, vel propter religionem, et lingvam a publicis Civitatis officiis excludunt, procedit Fiscus Regius ad desumendam mulctam 2000 flnorum, et quidem toties, quoties. 1608: 13. a cor. 1609: 44. 1613: 40. 1655: 34. 1659: 49.

5. Tales, qui sales regios in privatis depositoriis altiori pretio vendunt, vel Colonos in depositorio regio sales emere prohibent, in amissione salis, et poena 500 flnorum toties, quoties convenit, quorum duae tertiae Fisco Regio, una tertia vero denuncianti, cedunt. 1729: 5.

6. Habet actionem contra eos, qui a mineris obvenientes urburas solvere recusant. 1574: 19.

7. Omnes tales merces vel alias res, quae in regnum invehi, vel ex eo evehi prohibentur, occupat, confiscat, et Falsariorum poena debita convenit. Sigism. D. II: 20. 1625: 61.

8. Procedit contra illicitos lusus ludentes ad poenam 100 aureorum, ex 1791: 31.

§. 172.

IV. *Jura Fisci Regii circa Bona.*

Fiscus Regius bona coronae et regni eodem jure gubernat, quo alii regnicolae, atque iisdem juribus et obligationibus subest, quibus alii Nobiles. 1723: 63. Idem inprimis invigilat:

1. Ne quis quaqua illegitima ratione bona coronalia, fiscalia, aliaque jura regalia, usurpet, occupet, vel detineat. Ulad. D. VII: 1. 2. 3. Part I. tt. 23. 24. 64.

2. Donationes et Privilegia vitiosa impugnat. 1715: 48. Dec. Cur. de act. Fisci R. 4a. —

3. Ratione bonorum respectivas lites coram competente foro movere, prosequi, vel etiam intuitu eorum passive juri stare tenetur. 1723: 51. Intuitu tamen antiquarum fiscalitatum, id est bonorum ante 1715: annum, ad Fiscum Regium devolutorum, in lite prius respondere non tenetur, quam Actor per libellum supplicem ad Thronum Regium recurrens, inde ad ordinariam juris viam relegatus exstiterat, aut potius ad viam Instantiae, coram Causarum Regalium Directoratus Officio ingrediendam, ubi in praefixo per Causarum R. Directorem Termino, Levata exhibetur, actionale petitum legitimatur, et sic comite opinione, sententiam redolente, via Excelsae Camerae R. Hung. Aulicae, Suae Majestati Sacratissimae, pro elargienda B. Resolutione, totum negotium substernitur. — 1715: 9. 1741: 21. — Idem obtinet respectu privatorum quoque, sub Evictione Fisci Regii stantium, qui videlicet in possessorio similium, ante praescitum annum confisca-

torum bonorum, ex translatione Fisci Regii, seu perennali, sive temporaneo titulo facta, constituuntur. Dec. Cur. de Act. Fisci R. 25a. —

4. Si Fiscus Regius quempiam intuitu jurium et objectorum, quae citra collationem regiam nemo possidere potest, e. g. intuitu privilegiorum impetat, onus probandi semper in inpetitum adversarium retorquet. Plan. Cur. de act. Fisci 14a 1553: 9. 1569: 36. Idem Fiscus Regius literalia instrumenta, ratione quorumcunque bonorum ad jurisdictionem sacrae Coronae devolutorum, impetitus, producere non tenetur. Part. II. tt. 39. Si tamen Fiscus Regius aliquem active impetat, documenta et probas suas producere obligatur. Dec. Cur. de act. Fisci 13.

5. In causis, in quibus pro parte Regia juramentum deponendum imponitur, illud juramentum Fiscus Regius praestat, quia idem circumstantias, et meritum litis optime nosse supponitur. Part. II. tt. 39.

6. In amissione bonorum, item sententia capitali, vel emenda capitis, Fiscus Regius, qua talis, nunquam convincitur. Sed damna per officiales vel jobbagyones suos quibuscunque illata, refundere obligatur. Part. II. tt. 39. Si Fiscus Regius in lite succumbat, in expensis litis convinci non solet, Kit: Cap. I. quaest. 4. et praxis.

7. Procuratores Fiscus Regius pro causis suis, prout quisque alter, coram legitimis Jurisdictionibus constituit, aut revocat. Part. II. tt. 13. 1729: 24. 39.

8. Transactiones ex dubio litis eventu cum contra parte inire potest, respectu harum tamen, praeviam Insinuationem ad Excelsam Cameram Regiam facere, et inde, vel etiam saepe Altissimo Loco, Tractatuum suorum Ratihabitionem adex-

spectare tenetur. Sensu Lud. D. 1: 24. et Consvetudine.

9. Causarum Regalium Director ad Incl. Tabulam Regiam Judriam quoque sedem, et votum habet, interim, dum ipsius causae referuntur, aut revidentur, judicio interesse nequit. 1723: 19.

10. Habet Fiscus R. etiam actionem contra Praelatos, qui pecunias fundationales incaute elocant, quia Suae Majestatis est prospicere, ut Fundationes in sua integritate conserventur. Dec. Cur. 5a pag. 55.

11. Si Donatio Palatinalis 32 sessiones superet, vel secus etiam excessiva, aut vitiosa sit, eandem impugnare, et evertere obligatur. 1715: 33. 1723: 4.

12. Fiscus Regius Bona ex Nota, vel Defectu antiquo via juris quaerens, non tantum Notam, vel Defectum, atque Deficientis possessorium, sed etiam Jus Deficientis ad Bona, probare tenetur, et si non nisi portiones quaerat, illarum etiam quantitatem, qualitatem et localitatem edocere obligatur. Part. I. tt. 67. Dec. Cur. de Act. Fisci, 16.

13. Juribus et Bonis Fisci Regii non nisi centum annis praescribi potest. Part. I. tt. 23.

14. Gaudet Fiscus Regius etiam Jure Albinagii, seu Detractus, vi cujus Extraneus in Regno Hungariae successionem adeptus, aut regnicola fundos immobiles distrahens, et illorum pretium e regno efferre intendens, intra ambitum ditionum Austriacarum quinque, extra has autem, decem per centum, Fisco Regio dependere obligatur. Res. R. ddo. 14ae Octob. 1771: nro. 3567.

§. 173.

V. *Jura Fisci Regii circa Successiones.*

Quae de proventibus, et bonis Regiis, et Regni (Capite VIII Sect I.) uberius dicta sunt, ea hic quoque ita intelligenda, et applicanda veniunt, quod Fiscus Regius intuitu omnium eorum actionem et actoratum habeat. — Praecipuum successionis Fisci Regii fontem, defectum esse, ex eo patet, quod amplissima bona illa, quae nunc per Fiscum, ac respective per Excelsam Cameram Regiam, possidentur, et ab antiquitus conferri solebant, atque nunc etiam saepe conferuntur, potissimum hoc titulo ad Fiscum Regium devoluta exstiterint. Bona ex defectu caduca, sive *Caducitates*, ad Fiscum Regium devolutas, recentes, et manifesta, apprehendit Fiscus R. via facti, sed dubias, antiquas, et in primis 32 annos excedentes, nonnisi coram competente Judice, via juris ordinaria. 1715 : 25. 26. Successio Fisci, pro ratione legum, quae Fisco successionem in diversis bonis donationalibus, extradonationalibus, mobilibus, et immobilibus, iisque aviticis, vel acquisitis deferunt, ad sequentem generalem regulam reducitur: *ubicunque alter legalis, vel testamentarius heres deest, ibi successio Fisci R. habet locum.* Sensu Part. I: tt. 10.

Quia tamen regula haec valde generalis est, hinc de hac nonnulla in specie attingere, et exceptiones illas quoque, dum Fiscus Regius successione careat, observare juvabit. Igitur,

1. Non succedit Fiscus Regius in Bonis et juribus virtualibus, quia ille solum legalis, et non propagativus, heres est. Part. I: tt. 27.

2. Civibus, Fiscus Civicus, qui etiam Nobilibus, Libertinis, et Honoratioribus in fundis civicis, — non item in eorum rebus mobilibus,

quia hae Fiscum R. respiciunt, succedit. Dum tamen civis, crimen laesae Majestatis, vel Notam incurrit, ejus bona Fiscus Regius, non vero Civicus occupat. 1649: 16. 1715: 62. Jazigibus et Cumanis, Fiscus eorum districtualis; nobilibus tamen ibidem degentibus, in quantum mobilia et investituras habent, Fiscus R. succedit. — Colonis denique, Fiscus dominalis; verum Nobilibus et Libertinis in fundis colonicalibus degentibus, exceptis fundis dominalibus, aeque Fiscus Regius succedit. 1638: 35. 1647: 87. 1649: 16. 1715: 62.

3. Non succedit Fiscus Regius in donationalibus acquisitis, si donationalibus nomen uxoris, parentis, vel fratris insertum sit, vel si ultimus deficiens, dispositioni suae ultimae, Consensum Regium induxit. 1715: 26. Part. I: tt. 102.

4. Non succedit in donationalibus aviticis, quae ad collaterales redeunt, sed si donationalia avitica materna bona fuerint, in defectu collateralium maternorum, Fiscus Regius, — praeter consensum regium, — semper succedit. Part. I: tt. 29. 30. 67.

5. Excluditur Fiscus Regius a successione in nobilitaribus quoque, titulo perennali, sed extra publicam donationem, acquisitis, si

a.) In acquisitionalibus de aliis successoribus suo modo provisum sit.

b.) Si adsint ascendentes successores; pater enim filio, et reciproce filius patri, naturaliter acquirere censetur.

c.) Si adsint fratres carnales, et uterini acquisitoris, qui suas acquisitiones ante divisionem cum iis fecerat. Part. I: tt. 43.

d.) Si in fassione clausula: „*Nullum Jus*,“ exmissa sit, non Fiscus Regius, sed fatentis familia succedit. Part. I: tt. 18. 50. 53. 69. 102. 1723: 47.

6. Si donatio fuit mixta, deficiens nonnisi de summa investita, et meliorationibus disponere potuit, secus in his quoque in defectu legalis dispositionis, et successionis, Fiscus Regius succedit. Part. I: tt. 53. 1715: 26.

7. In mobilibus, et pignoribus aviticis, si familiae homines supersint, illi succedunt, qui si non existant, tam avitica, quam acquisita, ante Fiscum Regium, uxor obtinet, et non nisi uxore praemortua, vel successoribus carente, Fiscus Regius succedit: 1687: 11. 1715: 26.

8. Praelati Catholici, item Greci-Ritus uniti, cum consensu regio de tota sua acquisitione libere testari possunt; consensu regio tamen destituti, non nisi de una tertia parte. Nam una tertia remanet Ecclesiae, cui postremo serviverunt; altera denique obvenit Fisco R. *Conv. Kollon. puncto* 4. Si Praelati ab intestato decedant, una illa tertia, de qua disponere potuissent, cedit eorum consangvineis, intra decimum gradum, juxta proximitatem nexus; altera tertia cedit Ecclesiae, tertia denique Fisco Regio. *) Si consangvinei non adsunt, tunc Fiscus Regius duas tertias accipit. Resol. R. de 15a Febr. 1776,

9. Clero Catholico minori, in una tertia Ecclesia, in altera pauperes, in tertia consangvinei, vel si hi non adsint, Fiscus R. succedit. Int. ddo. 13ae Febr. 1776.

10. Non succedit Fiscus Regius Praelatis, et Clero Greci-Ritus Non-unitorum, quorum intuitu norma testandi, et hereditates manipulandi, determinatur in sic dicto *Regio Declaratorio Ilirico ddo. 16tae Sept. 1779. edito*, in quo, puncto 1mo, Sua Majestas, Juribus Fisci sui, in favorem Illiricae Nationis in perpetuum renunciavit. —

*) Praelato mortuo, tota ejus hereditas inventatur, et per homines capitulares et cameraticum commissari-

um dividitur. Conv. Kol. p. 1. 2. Reliqua administratio ipsius beneficii ecclesiastici, usque ad noviorem collationem, solam Excelsam Cameram Regiam concernit. — Sensu Part. I: tt. ! 10.

§. 174.

VI. *Obligationes Fisci Regii.*

Sicut omni juri certae obligationes correlatae esse solent, ita eximia Fisci R. quoque jura, per leges nostras certis limitibus circumscriptas esse, ex sequentibus patet:

1. Fiscus Regius caducitates, et Bona regnicolarum nonnisi in manifesto seminis defectu, intra annum a morte deficientis computandum, via facti occupare potest, secus semper via juris, et quidem pro ratione causae, substrati, et personae, eo ordine, prout alii regnicolae quoque, litigare obligatur. 1597: 27. 1681: 31. 1715: 25. 26. 1741: 23. sed etiam passive coram quocunque legali judice conventus, comparere, et juri stare tenetur, atque effectum latarum sententiarum impedire prohibetur. 1723: 51. Non tantum Fiscus Regius, sed etiam ipsius, et Camerales Officiales, tam in personalibus, quam in realibus, regni communibus legibus subsunt. Part. II: tt. 39. III: tt: 26. 1715: 44. 1756: 37.

2. Fiscus Regius quoque semper cum onere succedit, qui enim commodum vult, incommodum etiam velle censetur; ac proinde Fiscus Regius, dotem, allaturam, quartalitium, jus capillare, viduale, jus et aes alienum, investitiones et meliorationes, item expensas funebrales, aliaque onera, non tamen ultra vires successionis, ferre, et exsolvere tenetur. Part. I: tt. 29. 33. 82. 1715: 9. 1723: 9.

3. Vetatur Fiscus Regius regnicolas ad qualecunque externum Tribunal evocare, vel penes sententias ibidem latas, res eorum occupare. 1536: 41. 1622. 2. 41. 1715: 20. 1791: 56. 1792: 17. — Res vero quaqua illigitima ratione occupatas, una cum literalibus instrumentis, restituere obligatur. 1681: 38. 39.

4. Fiscus, et Camera Regia in suis bonis, publicas Comitatuum dispositiones circa hospitationem militum, partitionem onerum contributionalium, vectura,s etc. acceptare et admittere obligantur, secus actione Fisci Magistratualis Comitatensis conveniuntur. 1723: 62. 1729: 35.

5. Bona, in quibus fodinae salis reperiuntur, a privatis nonnisi erga praestationem aequivalentis excambiare valet. Lud. D: 13. Math. D. VI: 49.

6. In casibus, in quibus evictio locum habet, Fiscus R. quoque evictionem, et indemnisationem praestare tenetur. Sensu 1715: 67.

7. Colonos suos juri statuere, et pro iis impendere obligatur. Quodsi vero fugitivos colonos detineat, convincitur, sicut alter Nobilis. 1556: 31.

§. 175.

VII. *Jura Fisci Regii circa Causas, et Fiscales.*

Fiscus Regius nomine suo, qua nempe Director Causarum Regiarum, et Sacrae Coronae Regni Hungariae Fiscalis, omnes pro et contra se motas causas promovere, et defendere obligatur. Cum vero solus omnibus, et multiplicibus Fisci R. negotiis tractandis, et perficiendis non sufficiat, hinc eundem etiam Vice-Director Causarum Regalium

adjuvare, et saepe suplere solet, qui suo nomine alios Directorales Fiscales exmittere, vel etiam alios Procuratores constituere possunt. Causarum Regalium Directori, praeter Vice-Directorem, nunc novem *Directorales Actuales*, (octo in Hungaria, unus in Croatia) et nonnulli *Honorarii*, *Fiscales Regii*, adlaterati sunt, et omnes erga propositionem Directoris, per Suam Majestatem denominantur. Cum his Causarum Director quavis septimana semel sessiones celebrare, supervenientia Exhibita pro elaboratione inter illos distribuere, de majoris momenti causis, aut objectis cum illis consultare, eatenusvè peculiare Protocollum ducere consvevit. Praeterea Directori Causarum Regiarum subsunt Fiscales Camerales in Partibus et Dominiis quibusvis, Supremae Inspectioni Excelsae Camerae Regiae subjectis, existentes. Fiscales hi nempe Instructiones suas a Causarum Regalium Directore obtinent, huic juxta illas, in quibusvis per se pertractatis objectis, officiosas Relationes praestant; in casibus vero specialibus et momentosioribus, inviationes pro se a Directore Causarum expetendas et adexspectandas habent. Virtute recenter (183o) emanatae B. Resolutionis Regiae, ad Tabulas Districtuales, (excepta Eperjesiensi, penes quam vicinus Sóváriensis Cameralis Fiscalis negotia Fisci promovet,) in illis item Comitatibus, in quibus nullus Cameralis Fiscalis existit, adhuc insimul numero 20 salarisati, *Decretales Fisci Regii Advocati*, benigne resoluti habentur, quos Causarum Regalium Director denominat.

§. 176.

VIII. *Correlatio Fisci Regii cum Excelsa Camera Regia Hungarico-Aulica.*

Quum Excelsa Camera Regia sua bona ex parte sola administret, ex parte vero in arendam elocet, hinc in casibus, in quibus quaestiones juridicae oriuntur, vel oriri possunt, aut jam exortae sunt, praevie Regius Causarum Director pro opinione sua depromenda interpellatur, et sicuti Fiscus Regius majoris momenti objecta, absque praevia ratihabitione Excelsae Camerae R. praesuscipere, perficere, aut de iis transigere non potest, ita Excelsa Camera R. quoque, absque praevia opinione Fisci R., in casibus juris et dubiis, objecta sua in decisionem assumere non solet. Quare Director Causarum Regalium, inter Consiliarios Regios, ad Excelsam Cameram Regiam existentes, aeque suam sedem et votum, qua Consiliarius Cameralis, habet. Usibus Directoris etiam Archivum Camerale patet, quo ejus quoque acta reponi, et conservari solent.

§. 177.

IX. *Jura Fisci Regii Comitialia.*

De consvetudine antiqua obtinet, quod in Comitiis Fiscus Regius quoque certa postulata et projecta legum proponere soleat, cum et leges ipsas, et earum hiatus, optime nosse supponatur. Incumbit officiose praeterea Fisco Regio, ut in Comitiis nefors emergentes contumelias, (*Pasquillos*) et Excessus, Actione sua, coram I. Tabula Regia Judria vindicet, et sicuti lex dicit: *Tales Calumniatores, et Diffamatores toties quoties*,

in poena florenorum ducentorum parti laesae applicanda ; verberatores vero vel vulneratores poena actus majoris potentiae conveniat. 1723: 7.

§. 178.

Directoris Causarum Regalium Dignitas.

Director Causarum Regalium, sive Sacrae Coronae Regni Hung. Fiscalis, — quem Virum Juris peritum esse oportet; et qui per Suam Majestatem eligendus venit, 1452: 29. — est ad Excelsam Cameram Regiam Hung. A. Actualis Consiliarius, et ad Inc. Tabulam Regiam Judiciariam aeque sedem et votum habet. — Sphaera activitatis Directoris Causarum Regalium eximia, ampla, et ardua, ex praecedentibus abunde patet. Idem enim non tantum cuncta Juridica Fiscum R. generatim et speciatim concernentia Objecta' immediato influxu, et auctoritate sua moderatur, et pertractat; sed etiam saepe in ea quoque, quae Juris Publici et Politiae sunt, activitate et opinione sua influit. — Novus Director, ad lites novitus evocari non debet, 1792: 16. — Directorem, vel Vice- Directorem, in Officiis procedentem, verberans, arestans, interimens, antea notam Infidelitatis incurrebat, 1715: 55, nunc caput amittit 1723: 10. § 2. 11. § 5. Si tamen Causarum Regalium Directorem mulieres, vel Ecclesiastici verberent, arestent, vel interimant, hi in emenda Capitis dumtaxat convincuntur. 1723: 10. § 7. Directoris officio salarium quoque ex proventibus cameralibus solvi so itum, et alia etiam beneficia, adnexa sunt. Idem extra officium tam in personalibus, quam in realibus, iisdem juribus quibus alii regni Nobiles, subest. 1556: 37. 1715: 44. 1723: 51.

INDEX RERUM ALPHABETICUS.

A.

B.

C.

Nomina Pl. TT. Dominorum Prae numerantium.

Andreanszky Ant. Jur. Advoc.
Antalffy Jos. L. R. ac Mont.' Civ. Schemnitz. Ord. Not.
Bajtsy Car. L. R. Civ. Budensis ord. Fisc.
Balásy Aug. ad Exc. Cam. R. Hung. A. Consiliarius.
Beleznay Joan. Comes de Eadem, compl. I. Cott. T. I. Assessor.
Bényey Lad. Cur. Adv.
Blasko Thomas, Cur. Adv.
Boleman Joan. de Dezsér. Jur. Adv.
Bnjanovits Corn. de Aggtelek, Compl. I. Cott. Assessor.
Cammergrafiatus Officium Reg. per infer. Hung. Supremum in Montanis.
Campione Ant. L. R. ac mont. Cittis Cremncziensis v. Fisc.
Csintalan Steph. Jur. Adv.
Czismazia Georg. ad I. Tab. Distr. Cis. Danub. Pauperum Adv.
Dedinszky Steph. I. Cott. Csanád. Assessor.
Drexler Andr. Jur. Adv.
Eggenberger Joseph. Bibliopola Pestiensis.
Eőtvős Paulus, ad Exc. Cam. R. Hung. A. Consiliarius.
Fárnik Car. Curialis Adv.
Fejes Joan. Cur. Adv.
Fessel Aug. Patvarista.
Forgáts Alex. Comes.
Freyseysen Christ. L. R. ac mont Cittis Cremnitz Jur. Not.
Fűredy Lud. Jur. Adv.
Gaal Joan. Procuratoriae I. Cott. Pest. Praeses.
Gábory Ant. Supr. Cammergr, Offi. ref. Assessor.
Géczy Petrus. de Garamszeg. I. Tab. Cis. Danub. S. Assessor, et Ablegatus Diaetalis.

Gegus Sam. Cur. Adv.
Genersich Joan. ad I. Tab. Distr. Cis. Dan. Adv.
Gereb, Rud. Cur. Adv.
Ghyczy Petrus de Eadem et Assa-Kürth. S. C. et R. A. M. Cons. Aul. et I. Tab. Distr. Cis-Danub. Praeses.
Gombos Emer. de Gombosfalva, ad Exc. Cam. R. Hung. A. Consiliarius.
Gosztonyi Lud. Compl. I. Cottuum Assessor.
Hajnik Paul Cur. Adv.
Hajnoczy Sam. Ecclesiae A. C. Kiskeriensis Ord. V. D. Minister.
Jablanczy Alex. I. Tab. Distr. Cis-Danub. Not.
Igaz Sam. Cur. Adv.
Judicium Montanum R. per inf. Hung. Districtuale.
Károlyi Georg, Comes de Nagy-Károly, S. C. et R. A. M. Camerar.
Károlyi Lud. Comes de Nagy-Károly S. C. et R. A. M. Camerar. et I. Cottus Csongrád Administrator.
Károlyi Steph. Comes. de Nagy-Károly S. C. et R. A. M. Camerar.
Karlovszky Sigism. Cur. Adv.
Kasselik Joan. Cur. Adv.
Kaun Joan. Cur. Adv.
Kelemen Joan. de Szerep, Regius Directoralis Fiscalis.
Klauser Joan. in Gymn. A. C. Schemnitz Philosophiae Auditor.
Kozák Andr. Cur. Adv.
Kmetthy Jos. in Gymn. A. C. Schemn. Phil. Auditor.
Kutsera Laur. Cur. Adv.
Landes Jos. Bipliopola Posoniensis.
Láng Georg. I. Supr. Cammergrafiatus Officii Assessor.
Lányi Dan. in Gymn. A. C. Schemnitz Philos. Auditor.
Lovich Car. ad Supr. Camergr. Offum Concipista.
Ludvigh Ignat. L. R. ac Mont. Cittis Cremnicziensis ord. Fisc.
Majláth Alex. de Székhely, R. Cameralis Fisc. et plurium I. Cottum Assessor.

Marcsekényi Mich. Cur. Adv.
Mattyassovszky Emer. R. Camer. Fiscalis; et plur. I. Cottuum Assessor.
Mátyus Lad. de Domony, Tab. Adv.
Mentler Albert. Distr. Sellyensis Praefectus, et compl. I. Cottuum Assessor.
Mihalyfi Ant. Cur. Adv.
Miksó Paul. Cur. Adv.
Mocsonyi Joan. de Fény. compl. I. Cottuum Assessor.
Nagy Ant. Reg. Censor Librorum.
Nagy Car. Medicinae Doctor.
Palffiy Jos. Comes ab Erdőd, I. Tab. Distr. Cis-Danub. Hon. Assessor.
Paltso Andr. Curialis Adv.
Parczer Joan. ad Exc. Cam. R. Hung. A. Consiliarius.
Perger Joan. Cur. Adv. et Hung. Societatis Eruditor. Ord. Membrum.
Petrovits Frid. Societatis Erudit. Hung. Ord. Membrum.
Piperkovits Petr. I. Tab. R. I. Jur. Not.
Podhorszky Ant. Aulae Regiae Familiaris. I. Tab. Distr. Cis-Danub. Assessor.
Polatsek Ignat. Bibliopaegus Temesvariensis.
Pronay Alex. L. Baro de Tóth Prona et Blatnitza S. C. et R. A. M. Camerar. Ecclesiar. A. C. Supremus Generalis Inspector.
Pronay Albert. L. Baro de Tóth Prona et Blatnitza. compl. I. Cottuum Assessor.
Rákoczy Andr. I. Cottus Pest. ord. Fisc.
Ritter Carol. Cur. Adv.
Rőkk Const. Cur. Adv.
Rőszner Car. S. C. et R. A. M. in Mont. Consiliarius, supr. Fodinar. Praefectus.
Rőtth Ignat de Galocz, Cur. Adv.
Sárközy Emer. I. Cott. Pest. ord. Not.
Scherer Georg. Cur. Adv.
Schiller Car. Cur. Adv. et Juris Doctor.
Schvarcz Sam. Jur. Caus. Adv.

Seidel Ant. S. C. et R. A. M. in Re Monet. Consiliarius etc.
Spech Lud. I. Dominii Colocen. Fiscalis.
Steidel Lad. I. Tab. R. I. Jurat. Not.
Stercz. And. ad. Exc. Cons. R. L. Hung. in Exped. Offic.
Schéchen Nic. Comes de Temerin, Exc. Cam. Imp. A. Vice-Praeses, et Act. Int. Stat. Consiliarius, etc. etc.
Szekrényesy, — Cur. Adv.
Szloboda Mich. L. R. Cittis Pest Senator.
Sztehlo Joan. Eccles. A. C. Petrovacz. ord. V. D. Minister.
Teleki Lad. Comes de Szék.
Thuranszky Volfg. de Eadem Jur. Adv.
Tuczentallèr Alex. Jur. Caus. Adv.
Uhrinyi Paulus Jur. Adv.
Vachter Felix, Bibliopola Tirnaviensis
Vásárhelyi Sam. Cur. Adv.
Verhovszky Mich. Cur. Adv.
Zay Car. Comes de Csömör, perpetuus in Zay-Ugrotz S. C. et R. A. M. Camerarius et I. Tab. Dist. Cis-Danub. Supern. Assessor.
Zerdahelyi Jos. S. C. et R. A. M. Camerar. I. Tab. Distr. Cis-Danub. Assessor.
Zichy Car. Comes de Vásonkeő, Act. Int. Status Cons. et Exc. Cam. R. Hung. A. Praeses.
Zmeskal Maur. I. Cottus Arvensis ord Judlium, et Ablegatus Diaetalis.
